PAVLI IOSEPHI A RIEGGER,

EQVITIS SAC. CAES. REG. APOST. MAI. CONS. AVI. ACT.
IVR. ECCLES. P. P. O.

DISSERTATIO
DE
MAGIA.

Et quoniam rudis populus saepe ex ignorantia superstitionibus inquinatur, parochi subditos suos diligenter de illis doceant: et inter cetera, superstitiosum esse, exspectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex institutione diuina, nec ex ordinatione vel adprobatione ecclesiae producere potest.

CONCIL. MECHLINENS. TIT. 15. CAP. III.
APVD HARDVINVM TOM. X. COL. 1954.

VINDOBONAE,
TYPIS IOAN. THOMAE NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CAES. REG. MAIEST. TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXXIII.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891

~~7440 R603~~

A.7078.

CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

Pag.

§. I. Magiam ex principiis theologiae ethnicae - - - 3

§. II. Iuncta medicina, et astrologia 5

§. III. Sacerdotes, aliique impostores efformarunt. - - 6

§. IV. Magorum veterum operationes, 8

§. V. Modi, et praesidia operandi. 9

§. VI. Vanitatem iactatae artis licet ipsi ethnici perspexerint, - 11

§. VII. Ea tamen populorum omnium animos occupauit; - - 12

§. VIII. Quin et inter iudaeos inualuit. 14

§. IX. Ea quidem post aduentum religionis penitus cessare debuisset, 16

§. X. Ast non defuere seductores plebis recens a paganismo conuersae. 16

§. XI. Ita vniuersa veterum Gentilium magia in religionem christianam traducta est. - - 18

§. XII. Recensentur cognitarum magiae genera. 1) Diuinatio, cuius species sunt a) astrologia. - 18

Pag.

§. XIII. Leges eccleſiaſticae contra eam. 20

§. XIV. b) Augurium. c) Necromantia. Leges eccleſiaſticae contra eas. 21

§. XV. d) Sortilegium. - 22

§. XVI. In ſpecie ſortes ſanctorum. 24

§. XVII. 2) Magia ſtricte ſic dicta, eiusque ſpecies. - - 26

§. XVIII. Leges eccleſiaſticae contra eas. 28

§. XIX. 3) Incantatio, eiusque ſpecies. 29

§. XX. Quas, leges, et canones damnant. 32

§. XXI. Contra abuſum exorciſmorum, amuletorum, imaginum, qui in eccleſia irrepſit, - - 33

§. XXII. Regulae praeſcribuntur. 35

§. XXIII. Idem. - - 37

§. XXIV. 4) Praeſtigium, eiusque ſpecies. 38

§. XXV. Leges eccleſiaſticae contra eas. 40

§. XXVI. 5) Vana obſeruantia, eiusque ſpecies. - - 40

§. XXVII. Leges eccleſiaſticae contra eas. 42

§. XXVIII. Leges antiquae germanorum contra magiam latae adferuntur; 43

§. XXIX. Atque ex iis imaginariae artis fabulae refelluntur. - 46

§. XXX.

Pag.

§. XXX. Nouiſſima magiae principia proponuntur; - - 48

§. XXXI. Et ex his magiae ſemichriſtianae conceptus, - 50

§. XXXII. Imputatusque huius magiae cultoribus operationes explicantur. 53

§. XXXIII. Huius ſyſtematis prima veſtigia ſeculo XIII. occurrunt. 55

§. XXXIV. Cum autem penitus fuerit incognitum; - - 57

§. XXXV. Seculo XIV. adhuc intra plebeiae perſuaſionis limites perſtitit. 58

§. XXXVI. Quam tamen inquiſitores ſeculo XV. egregie propagarunt; 60

§. XXXVII. Donec auctoritate publica ſeculo XVI. fuerit ſtabilita; 63

§. XXXVIII. Dein ſeculo XVII. magis adhuc confirmata. - 65

§. XXXIX. Verum figmenta haec refutantur, - - - 67

§. XL. Et demonſtratur I) nullam eſſe diaboli poteſtatem; - 68

§. XLI. II) Eum nec euocari, nec in ſpecie corporali comparere poſſe; 70

§. XLII. III) Neque pactum aut expreſſum, aut tacitum cum eo iniri poſſe. 71

§. XLIII.

Pag.

§. XLIII. Idem. - - 73

§. XLIV. Iſta confirmantur per can. 12. XXVI. q. V. - - 75

§. XLV. Idem. - - 76

§. XLVI. Qui canon ad omnes magiae ſpecies pertinet. - 79

§. XLVII. Reſoluuntur obiectiones petitae 1) ex hiſtoria gentilium. - 80

§. XLVIII. 2) Ex ſacra ſcriptura. 82

§. XLIX. Idem. - - 84

§. L. Idem. - - - 86

§. LI. 3) Ex SS. Patribus. - 87

§. LII. Ex quibus magiae exiſtentia neque ante, - - - 89

§. LIII. Neque poſt Chriſti aduentum 91

§. LIV. Sufficienter probari poteſt. 93

§. LV. 4) Ex confeſſionibus iudicialibus ſpontaneis, - - 95

§. LVI. Et tortura extortis. - 97

§. LVII. Genuina magiae definitio. 99

§. LVIII. Scriptores contra magiam. 101

§ I.

Magiam ex principiis theologiae ethnicae

In quam horrenda opinionum monſtra, et portentoſa deliria mens humana neglecto rationis, et reuelationis lumine incidere, et quam longe a via veritatis aberrare ſoleat, annales mundi abunde teſtantur, et quotidiana experientia hodiedum comprobat. Neque liceret nobis *errores perniciosiſſimos*, *diuturnos* ſimul, et *vniuerſales* concipere, niſi vniuerſalis

neglectus, et abusus earum facultatum, quae vrgente natura in viam rectam nos ducunt, praesupponatur. Inde ridiculum, et insania plenum theologiae ethnicae systema prodiit. Fingebant nempe 1) Deum summum infinita, et aeterna materia occultatum, hominibus ignotum, *act. apost. XVII. 23.* 2) duos primum *Deos* sibi maxime contrarios progenuisse, alterum *boni*, *mali* alterum auctorem, dispensatoremque, vtrumque in sua linea aeque potentem: tum 3) *spirituum*, qui corporibus subtilissimis essent induti turbam innumerabilem exhalasse, quorum alii quidem principii boni, alii mali essent administri, partiumque huius mundi singularum rectores: atque hosce spiritus deos intermedios, eosque vel *superos*, seu *bonos*, vel *inferos*, seu *malos*, et generatim *daemones* vocabant. 4) Quo nomine etiam *ani-*

mas

mas defunctorum, quas et praeſcientiam habere, et ad hominum miniſterium deputatas eſſe creditum eſt, comprehendebant. 5) Ipſos deos principes non ſociari cum hominibus, neque eos aliter, niſi per daemones recte coli poſſe. 6) Horum ſingulos certae materiae fuiſſe inditos, huius autem connexionem, et relationem mutuam adeo pertinacem eſſe, vt ipſi deorum animi proportionale hoc vniuerſae materiae ſyſtema ſequi *fatalem* neceſſitatem experiantur. 7) Itaque cognito, et obſeruato rerum mundanarum nexu, quaſi vincula quaedam haberi, queis dii hi intermedii adtrahi, adliciue, et ad omnia deſiderata cógi poſſent.

§. II.

Iuncta medicina, et aſtrologia

Longiori huic fabulae immorari non lubet, cum primas notiones deli-

neaſſe ſufficiat, vt intelligamus, qua ratione gentibus perſuaderi potuerit, eſſe homines, qui relationes, et conciliatrices cum natura, et ſubſtantia deorum qualitates noſcerent, atque cum iis familiare commercium haberent: inde legum, queis obedire ipſimet debeant, notitiam deſcendiſſe. Quare gentilium ſacerdotes, impoſtoresque alii confidenter iactabant, ſe deorum intermediorum, quos colerent ope, cuncta bona, et mala hominibus adferre poſſe, cui *religioni*, ne fucus, et color deſit fraudibus, *medicinam* cum *aſtrologia* iungentes rem totam exorciſmis, ritibus, et caeremoniis mirifice exornabant.

§. III.

Sacerdotes, aliique impoſtores efformarunt.

Ex his conflata eſt imaginaria illa deos intermedios, ſeu daemones co-

len-

lendi, euocandi, et ad quaecunque flectendi ars, et ſcientia, quam *magiam* dixere; cumque ſpiritus bonos primum, dein etiam malos coli placuerit, ex illorum *Theurgia*, ex horum vero cultu, et commercio *Goetia* orta eſt. Egregiae profecto ſcientiae, quarum principia 1) in idololatria, et ſuperſtitione. 2) In ignorantia, et vulgi credulitate. 3) In impoſturis falſariorum conſiſtere iam omnes intelligunt.

Itaque *Theurgia* gentilibus vera, et ſancta religionis myſticae ſcientia fuit, cuius profeſſione ſacerdotes, philoſophi, et omnes, quibus auctoritate apud plebem opus erat, gloriabantur. Inde *theurgi ſapientes* dicti ſunt, tantum abfuit, vt haec fraus criminis notam, legumque vindictam habuerit. At vero *goetae*, quia per ſcelera diuerſa artem ſuam oſtentare nitebantur, *malefici*, ac legum ſeueritate digni audierunt. *L. 5. 8. Cod. de Malef.* Atque de his potiſſimum nobis ſermo erit, cum et latini

per *magiam* ſolam fere *Goetiam* denotare ſoleant.

§. IV.

Maiorum veterum operationes.

Videamus autem, quid impoſtores peſſimi hiſce fundamentis innixi promittere, quid minari auſi fuerint. Iactabant ſe poſſe 1) *futura* per diuinationem, et rerum naturalium obſeruationem *praedicere.* 2) *prodigia interpretari.* 3) *amorem* ab amato mutuum *extorquere.* 4) homines variis modis *defigere*, er *faſcinare*, hoc eſt, impedire, ne aliquid facere poſſint, cui alias per vires naturales efficiendo pares eſſent. 5) *morbos curare*, vtpote, quos daemonibus adſcribebant. 6) *ferali murmure*, ſeu incantationibus *omnia in aliam effigiem transformare.* 7) per aera auium inſtar *volare.* 8) *tempeſtatum* viciſſitudines moderari, terrarum *vbertatem*, aut *ſteri-*

rilitatem ciere. Paucis: quidquid amicis *ſalutare*, et *gratum*, quidquid inimicis *exitioſum*, quidquid ipſis *vtile*, et *commodum* dici poterat, id omne ſe effecturos eſſe, haud difficulter rudi popello perſuadebant.

§. V.

Modi, et praeſidia operandi.

Nam deorum auctoritate, et daemonum ope magorum operationes fieri receptum fuerat, vtpote, quod vincula, et leges noſcerent, eos ſibi conciliandi, coniurandi, in colloquia adliciendi, et ad miniſterium deſideratum cogendi. Hanc ſane vim ineſſe 1) *precibus ſacris*, *exorciſmis*, et *adiurationibus* a diis ipſis reuelatis. 2) *nominibus deorum* ignotis etiam, et non intellectis; cum ſufficiat, ea apud deos omnia ſignificare. 3) *numeris*, et *lineis*, diis dedicatis. 4) *odoribus*, *lapidibus*, *herbis*,

metallis naturae deorum congruentibus. 5) *ossibus, cadauerum reliquiis,* et quaecunque ex sepulchris, vel penes ea reperiuntur, in quibus sedem habeant dii manes. 6) *sacrificiis,* quae *in sanguine* praesertim *humano* constarent; ex eo enim deos inferos nutriri, et maxime delectari mentiebantur. 7) adhibita modo *certae syderum positionis, certi temporis, loci,* aliarumque circumstantiarum obseruantia, eaque cautela, vt *instrumenta* omnia *atri coloris* essent, qui diis inferis magis conueniret, et omnia *noctu* peragerentur.

Quare et *sanguinem bibere,* et praecipua animalium *membra,* veluti corda *deglutire,* grauidis mulieribus *partum exscindere,* variaque ratione humanas victimas adhibere solebant goetae, quas cum et veneno sibi compararent, praeter maleficorum adpellationem etiam *veneficorum* nomen meruere. *L. 5. 8. Cod. de Malef.*

§. VI.

§. VI.

Vanitatem iactatae artis licet ipſi ethnici perſpexerint

Ita vero optato euentu haud deſtituebantur magi, vt ſuperſtitioſae plebis adplauſum, et grandem nummorum copiam reportare ipſis quidem ſufficeret; effectum enim, quem alii exſpectabant, modo per fraudes, illuſiones, per ſcelera producere laborarunt: modo caſus eum attulit: modo omiſſio rituum praeſcriptorum eum impediuit, qua ſolenni excuſatione ſemper in ſubſidium vtebantur. Has ſane impoſturas, et iactatae artis vanitatem non demum poſteritas, ſed coaeua veterum ſapientia iam animaduertit, HIPPOCRATES in libro *de morbo ſacro* magos *arrogantes oſtentatores* adpellat, qui ſe valde pios eſſe, plurimumque ſcire ſimulant, reuera autem

tem *deos non esse profiteri videntur.* PLVTARCHVS in libello *de superstitione* magorum ritus, et iactationes *ridicula superstitionis opera* vocauit, *quae omnia*, vt ait PLINIVS *hist. nat. lib. XXX. cap. 2. aetate nostra princeps Nero vana, falsaque comperit*, quod cum multis ostendisset, tandem concludit: *Proinde autem ita persuasum sit, inteſtabilem, irritam, inanem esse magiam, habentem tamen quasdam vmbras veritatis, sed in his veneficas artes pollere, non magicas.*

Vid. omnino CICERO in libris *de diuinatione*, vbi quid acutiores gentilium de arte magica senserint, quam dignam risu, et explosione eam iudicauerint, sufficienter declaratur.

§. VII.

Ea tamen populorum omnium animos occupauit.

Caeterum descripta hactenus artis magicae opinio cum omnibus suis prin-

ci-

cipiis, ac corollariis inter populos ethnicos *vniuerſaliter* fuerat recepta, et tam arcto nexu cum gentilium religione colligata, vt, qui Theurgiam quidem (ſupr. §. 3. ſchol.) a Goetia tamen reapſe haud diſtinctam deſpiceret, atheiſmi reus poſtularetur. *Auctoritatem vero ei maximam fuiſſe, nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanae mentis complexa ſe in vnam redegit. Natam primum e* MEDICINA *nemo dubitet, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem, ſanctioremque medicinam: ita blandiſſimis, deſideratiſſimisque promiſſis addidiſſe vires* RELIGIONIS, *ad quas maxime etiamnum caligat genus humanum: atque vt hoc quoque ſuggeſſerit miſcuiſſe* ARTES MATHEMATICAS *nullo non auido futura de ſe ſciendi, atque ea e coelo veriſſime peti credente. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus*

tri-

triplici vinculo in tantum faſtigii adoleuit. PLINIVS *loc. cit. cap. 1. et 2.* (add. ſupr. §. 2.)

Qua in re idem cum reliquis nationibus germania noſtra fatum paſſa eſt, hac ſolum differentia, quod cum inter varios tum eius populos primum in ſacerdotio locum *foeminae*, praecipue *virgines* habuerint, ab illis etiam vt plurimum magia exculta fuerit. TACIT. *hiſt. IV.* c. 1. IDEM *de morib. german. VIII.* ſed haec in myſteriorum, daemonesque colendi ſcientia conſiſtebat (ſupra §. 3.) inde Allrunen, id eſt, *arcanorum ſcientes*, Hexen, id eſt, *mulieres prouidae, et ſapientes* adpellatae ſunt.

§. VIII.

Quin et inter Iudaeos inualuit.

Neque populum hebraeum ad ſuperſtitionem, et idololatriam alias proniſſimum ab vniuerſali hac inſania, et impietate immunem fuiſſe, hiſtoria nos docet. Ex quo cum a gentilibus debellari, diſperdi, cumque iis permiſtus viuere coepit, principia quoque ma-

magicarum ſuperſtitionum ſenſim inualuerunt. Tandem diuerſae Iudaeorum ſectae ortae ſunt, atque inter eas ſyſtema aliquod de Deo, rerumque creatione, de corporum, ſpirituumque relatione inter ſe, partim ex vera Iudaeorum religione, partim ex variis philoſophorum ethnicorum ineptiis conſarcinatum, ſub nomine *Cabbalae* prodiit, cuius ope operationes magicas antea recenſitas (ſup. §. 4.) effici, et explicari poſſe tota fere Iudaeorum turba credidit.

Ita ſane ſolenne ipſis fuit, morbos, et incommoda, quorum cauſae latebant, diabolis imputare, vt ſuos eſſe inſaniae daemones, ſuos eſſe ſurdidatis, ſuos ſilentii, quibus homines inſani, muti, et ſurdi redderentur, putauerint. I. REG. XVI. 14. 23. MATTH. XX. 32. LVC. XI. 14.

§. IX.

§. IX.

Ea quidem post aduentum religionis penitus cessare debuisset,

Quae cum ita sint, quanto magis illustrato per religionem christianam orbe euanescere debuisset artis magicae opinio, quam et S. PAVLVS gentium apostolus tanto cum effectu oppugnauit. I. *ad Timoth.* I. 3. 4. *ad Coloss.* II. 8. vt multi, qui antea fuerant *curiosa sectati, contulerint libros, et combusserint coram omnibus.* act. apost. XIX. 19.

Vid. CORNEL. A LAPIDE *Comment. in acta apost. c. XIX. 19.*

§. X.

Ast non defuere seductores plebis recens a paganismo conuersae.

Verum primis quoque illis ecclesiae seculis non defuerunt gentium se-

duc-

ductores, qui antiquam crambem recoquerent, et ex ipsa religione christiana stabilire niterentur. Huius furfuris duos: ELYMAM scilicet *act. apost. XIII. 6. 7. seq.* et SIMONEM, magos et impostores celeberrimos *ibidem VIII. 9. 10. seq.* ipsi Apostoli repressferunt. (supr. §. 9.) Eos nihilominus non tantum sequutus est MENANDER, sed ad portentosa mendacia aliquid etiam adiecit. Inde SATVRNINVS, et BASILIDES, et CARPOCRATES, quorum omnium haereses in magiae principiis definebant, prodiere. Eodem seculo II. MARCVS magicae impostu-rae peritissimus nouam sectam condidit. Postea haeretici OPHIANI, et MANICHAEI veterum magorum nequitiam praedicarunt. Vt iam nihil dicam de reliquis, qui antiquam suam inter gentiles possessionem continuatis fraudibus tueri conabantur.

§. XI.

Ita vniuerſa veterum gentilium magia in religionem chriſtianam tradu&ta eſt.

Qua ratione factum eſt, vt inter fideles recenter conuerſos nunquam non inuenti fuerint, qui concluſiones cum inueteratis magiae principiis (ſup. §. 1.) connexas adoptarent, et ita diuinae reuelationis oracula cum gentilium fabulis re ipſa turpiter commiſcerent. Teſtantur id lamenta SS. Patrum, innumeraeque leges tum eccleſiaſticae, tum ciuiles, queis impiam artium magicarum chimaeram populis demonſtrari neceſſe fuit.

§. XII.

Recenſentur cognitarum magiae genera. 1) Diuinatio, cuius ſpecies ſunt a) Aſtrologia.

Ex quibus et iſtud colligere nobis licet, quatuor eſſe vniuerſim capita, queis

queis magia omnis tum temporis contineri credebatur. 1) DIVINATIO, ſeu MANTIA. *Can. 1. 14. XXVI. q. III.* qua denotantur omnes operationes ac viae reuelandi ſecreta, et praenuntiandi futura, quae ex nullis naturae legibus ſciri poſſunt. Species notiſſima, et maxime infamis erat. 2) ASTROLOGIA *iudiciaria*, ſeu *ars apoteleſmatica*, id eſt, ars manifeſtandi ſecreta ex poſitu, et motu ſtellarum. Qui hanc artem profitebantur, communiter *Mathematici* vocabantur, nonnunquam *Genethliaci*, propter natalium dierum conſiderationes ope ſchematum, et horoſcoparum, vt ex coniunctione ſtellarum, ſub qua natus quis eſſet, illius fata cognoſcerentur. *Can. 6. §. 3. XXVI. q. II. Can. 1. ibid. q. IV.*

§. XIII.

Leges eccleſiaſticae contra eam.

Et cum horum nonnulli vitam, ac mortem principum adcurate determinare ſibi ſumerent, ideo ſeuerae leges ab ipſis ethnicis imperatoribus aduerſus iſtud hominum genus latae ſunt. *vid. L. 2. C. de Malef. et Mathem.* Praeterea cum tota haec res originem ſuam ſyſtemati de diis intermediis, partium huius mundi rectoribus (ſup. §. 1. n. 3.) debeat, et abſolutum fatum in actiones humanas introducat, ea merito tanquam idololatria, et blasphemia ab eccleſia damnata eſt. *Si quis aſtrologiae, vel matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit.* CONCIL. TOLETAN. *I. Reg. fid. contr. Priſcill. quoniam, qui ſe talibus perſuaſionibus dedit, a Chriſti corpore totus abſceſſit.* *S.* LEO *epiſt. 91. ad Turib. cap. 11.*

§. XIV.

§. XIV.

b) Augurium. c) Necromantia. Leges eccleſiaſticae contra eas.

Aliud diuinationis genus erat b) *Augurium*, quod fiebat modo per diuerſorum ſignorum, et indiciorum in inteſtinis ſacrificiorum obſeruationem, quod *Haruſpicium*, et *Aruſpicina* dicebatur: modo per obſeruationes ex motu, volatu, vel cantu auium, quod *augurium ſtrictius*: modo ex inſpectione linearum corporis, vt in manu, quod *Chiromantia*, vel vultu, ac fronte, quod *Phyſiognomia*, vel in dorſo, quod *Notomantia* audiebat, cum multis aliis iſtiusmodi obſeruationibus. *can. 8. XXVI. q. II.* queis accedit. c) *Necromantia*, quam artem eſſe contendunt, euocandi, vel reſuſcitandi deos manes, qui ad interrogata reſpondeant, aut in vmbris, et imaginibus occulta

reuelent, quo pertinet caſus *cap. 2. de ſortil.* Quas ſuperſtitiones tum imperatores chriſtiani, *L. 3. 5. Cod. ibid.* et eccleſiae praeſules ex iisdem rationibus (ſupr. §. 12.) prohibuerunt. *Si quis clericus, monachus, vel ſaecularis diuinationem, vel auguria crediderit obſeruanda, - - - cum his, qui eis crediderit, ab eccleſiae communione pelluntur. Can. 9. XXVI. q. V.* cum certum ſit ex idololatria huiusmodi opprobria pullulare. *can. 9. §. 1. ibid. q. II.*

§. XV.

d) Sortilegium.

Huc quoque pertinet *diuinatio per ſortes*, ſeu d) *ſortilegium*, cum actus quidam ponitur, vt ex euentu illius fortuito, et caſuali futura cognoſcantur. *can. 1. ibid. q. III. et IV.* Animaduerterant chriſtiani in antiquo foe-

de-

dere ſortium pro eruenda voluntate diuina ſacrum vſum fuiſſe, IVD. *VII. 18. I.* REG. *XIV. 38. ſeq.* quem etiam gentiles, ſed ex aliis longe principiis colebant. Aſt animaduertere neglexerant, ſortes eiusmodi ex ſpeciali lege, aut inſpiratione Dei *act. apoſt. I. 26.* adhibitas. *Can. 1. ibid. q. 1.* ius prorſus ſingulare, non regulam conſtituere, nec ad conſequentiam trahendum eſſe. *can. 2. 4. ibid.* Itaque mores gentilium ſectati ſunt, quos licet toties damnauerint SS. Patres noſtri, et *nihil aliud, quam diuinationes, et maleficia eſſe* decreuerint, *can. 7. ibid. q. V. cap. 1. de ſortil.* eradicare tamen ob hominum, vel ignorantiam, vel malitiam penitus nondum potuerunt.

Caeterum *ſortes colligere*, ſeu ſortilegium in ſe malum non eſt, ſed quandoque vtile, ac neceſſarium, ſi rebus, quae in noſtra poteſtate ſunt, adplicetur, ſcilicet variae dantur ſortes, vt *diuiſoriae*, quibus vtimur

in re communi diuidenda; vnde *conſortes fratres*, quibus commune eſt patrimonium. *L. 31. §. 4. de excuſ. tut.* Item *ſuffragatoriae*, quibus vti licet quandoque, ſi paria ſunt ſuffragia, vt maiora aliter, quam per ſortem haberi nequeant. Ita et S. AVGVSTINVS *epiſt. 180. ad Honorat.* ſorte definiri poſſe ait, quosnam tempore perſecutionis eccleſiae miniſtros ad gerendam curam plebis in ciuitate manere oporteat.

§. XVI.

In ſpecie ſortes ſanctorum.

Sortilegii ſpecies ſunt *ſortes ſanctorum*, ſeu *ſacrae*, quae traductae in religionem chriſtianam ſuperſtitionis ethnicae exemplum praebent manifeſtiſſimum. Pagani per certas ſortes, quas *Virgilianas*, et *Homericas* vocabant, diuinare ſolebant, cum videlicet temere arrepto *Virgilii*, aut *Homeri* libro, quicunque verſus primum ſe obiiciebat, pro ſorte eum, et oraculi loco haberent. Eodem conſilio

ſu-

ſuperſtitioſi chriſtiani ſacris *bibliis* abutebantur, arripientes locum, qui primus oculis ſubiiceretur, vt ex eo futura ſibi diuinarent. *Quod maxime fidem catholicae religionis infeſtat, aliquanti clerici ſiue laici ſtudent auguriis, et ſub nomine fictae religionis per eas, quas* SANCTORVM SORTES *vocant, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Hoc quicunque clericus, vel laicus detectus fuerit, vel conſulere, vel docere ab eccleſia habeatur extraneus.* CONCIL. AGATHENS. *can. 42. ap.* GRATIAN. *can. vn. XXVI. q. I. can. 6. ibid. q. V.*

Vid. CONCIL. ILLIBERIT. *can. 62.* VENETIC. *can. 16.* ANCYRAN. *can. 24.* Formula precum in his ſortium ſacris olim vſitatas, quas in veteri codice Mſto. cuius titulus eſt: *ſortes ſanctorum apoſtolorum, quae nunquam fallentur, aut mentientur*, inuenit, *veteri canon. cod. eccleſ. roman. Pariſiis an. 1687.* edito ſubiunxit FRANC.

PITHOEVS. Exemplum vero elegans *vid. ap.* MABILLON. *in Act. Bened. ſecul. I. pag. 249.* ex quibus pateſcit, quam inſignis his ſortibus religio adſcripta fuerit.

§. XVII.

2) Magia ſtricte ſic dicta, eiusque ſpecies.

Diuinatione, et ſortilegio multo deterior eſt 2) *Magia ſtricte* ſic dicta, quae ſignificabat artem noxiarum operationum, et deorum inferorum auxilio mala quaecunque hominibus inferendi. *can. 14. §. 1. XXVI. q. III.* ideo, qui ei ſe dederant, *venefici*, et *malefici* vocabantur, quia aut *veneno*, aut aliis *malis artibus* mala inferebant aliis. *Nou. CXV. cap. 3. §. 4. cap. 4. §. 2.* (ſupr. §. 3. ſchol. §. 5. ſchol.) Quo ſpectant a) *impia ſacrificia. L. 13. ad leg. Cornel. de ſciar.* queis homines immolabant, vt iactatum artis magicae effectum conſequerentur (ſupr. §.

5.

5. n. 6.) b) *Philtra*, et *Pharmaca*, queis pudicos ad libidinem animos excitari dicunt. *L. 4. cod. de Malef.* c) *Maleficia*, queis coniuges in vſu matrimonii impediantur, et impotentia immedicabili adficiantur. *can. 4. XXXIII. q. I.* (ſup. §. 11.) d) *Falſitates tempeſtariorum. can. 16. XXVI. q. VII.* qui magicis artibus elementa turbare, grandines in vineas, meſſesque immittere dicuntur. L. *6. cod. de Malef. can. 14. §. 1. cit.* e) *Miſſa pro requie defunctorum* promulgata fallaci voto *pro viuis* celebrata hominibus, *non ob aliud, niſi vt is, pro quo ipſum offertur ſacrificium, ipſius ſacroſancti libaminis interuentu mortis incurrat periculum. can. 13. §. 1. XXVI. q. V.* f) *Incantationes, excantationes, faſcinationes, defixiones, ſuſurri magici*, queis fruges agrorum diſperdi, morbos animalibus, hominibusque cieri, imo et ne-

necari eos posse credebant. *§. 5. Inst. de publ. iud. Leg. XII. Tab. Tab. VII.*

§. XVIII.

Leges ecclesiasticae contra eas.

Omnibus autem hisce ineptiis crimen idololatriae, homicidii, et falsi ecclesia obiecit, adeoque nunquam non grauissime prohibuit: *si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem*, seu reconciliationem cum ecclesia, et ab excommunicatione absolutionem, placuit *Concil. Laodic. can. 6. qui magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt, sciant se fidem christianam, et baptismum praeuaricasse, et vt paganum, et apostatam, id est, retro abeuntem, et Dei inimicum iram Dei grauiter in aeternum incurrisse. can. 16. XXVI. q. VII.* Con-

CILIVM TRVLLANVM *eos, qui nubes fugare dicuntur, et imprecatores canoni, qui eſt de ſexennio, ſubiicit. In his autem perſeuerantes, nec mutantes ſententiam, nec fugientes haec pernicioſa, et ethnica inſtituta omnino eiiciendos ab eccleſia definiuit. can. 61. venefici, et adulteri, et idololatrae eadem condemnatione digni habentur.* S. BASILIVS *can. 7. add. can. 5. XXVI. q. V.*

§. XIX.

3) Incantatio eiusque ſpecies.

Noua hic ſe offert, et quoad effectum a magia diſtincta 3) INCANTATIO, quam multi rudes, ac ſuperſtitioſi chriſtiani ex gentilis erroris reliquiis adamarunt, et in peritia, ac poteſtate per certa verba, ſigna, aliaque faciendi aliquid boni conſiſtere dicitur; cuius claſſis ſunt a) *carmina*, ac *characteres magici*, et *exorcismi:* b) *Phylac-*

lacteria, ſeu *ſeruatoria*, *ligaturae*, et *amuleta* ad curandos morbos, et pericula, ac damna tum a ſe ipſis, tum a fructibus terrae aueruncanda. *can. 6. §. 1. et can. 7. XXVI. q. II. L. 1. §. 3. de extraord. cognit.* queis ineptiis, vt ſpeciem pietatis haberent, nomina Chriſti, Angelorum, verba S. Scripturae addere ſolebant. S. AVGVSTINI *Tractat. VII. in Ioan. c) ſultae artes theſauros effodiendi, inueſtigandi. L. vn. cod. de theſaur.* quarum Profeſſores LVCIANVS *in Alexandr.* iam dudum *cultores impoſturarum, et ludificationum adpellauit.*

Modus inueſtigandi, inueniendique theſauros, aliaque in viſceribus terrae abdita, vti ſunt metalla, ſcaturigines aquarum etc. detegendi adhibita virgula diuinatoria, quam germani Wünſchel-Ruthe, Galli *la Baguette* vocant, antiquiſſimus a gentibus ethnicis vſurpatus, poſtea etiam ad chriſtianos tranſiit, cuius vſus in pluribus regnis hodiedum adhuc perdurantis exempla collegit quam plu-

plurima vir ſolidae eruditionis PETRVS LE BRVN *P. oratorii in Lib. VII. praeſtantiſſimi operis*, cui titulus: *l'hiſtoire critique de pratiques ſuperſtitieuſes, qui ont ſeduit les peuples, et a embarraſſé les ſavans*, vbi *cap. XIV.* adlegatis pluribus authoribus grauiſſimis praxim hanc *vt ſuperſtitioſam* merito reprobat, et inter hos praecipue laudat NATAL. ALEXANDRVM, qui in *theologia morali Tom. IX. pag. 548. lethalis ſuperſtitionis reos* damnat illos, *qui adhibito certae cuiusdam arboris ramo, ſeu baculo certae figurae certa ſub conſtellatione ex arbore abſciſſo, vel auulſo, certisque characteribus notato theſauros abſconditos ſcrutantur, et vbi ſunt abſconditi, diuinant: Lethalis pariter ſuperſtitionis rei ſunt* (pergit ibidem) *qui huiusmodi hominum arte, et opera ad inueniendos, et detegendos theſauros occultos vtuntur* Hactenus Alexander. Idem iudicium ex identitate rationis ferendum eſſe arbitror de iis, qui virgulis ex argento, aere, ferro confectis ad eundem finem obtinendum vtuntur; omnium enim horum effectuum, qui his virgulis tribuuntur, nullam rationem phyſicam, et naturalem ſufficientem in medium afferri poſſe, adductis ſex argumentis operoſe demonſtrat P. LE BRVN *cit. loc.*

cap.

cap. XVII. quem legisse nunquam poenitebit.

XX.

Quas, leges et canones damnant.

Quam magiae speciem ad salutem, et commoda hominum inuentam CONSTANTINVS M. quidem permisisse videtur: *L. 4. cod. de Malef.* sed LEO IMP. *istiusmodi incantationes perniciosas esse censuit, et vt boni quidquam inde manare credat, induci non potuit; itaque apostatarum poenam* in eos statuit, qui ad bonum quoque efficiendum incantamentis vterentur. *Nouel. Leon. LXV.* ecclesia vero semper *sacerdotes admonere fideles populos iussit, vt nouerint, magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus nihil remedii posse conferre can. 15. XXVI. q. VII. neque oportere sacris officiis deditos magos, aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quae*

ani-

animarum ſuarum vincula comprobantur. can. 4. ibid. V. Amuleta, etſi de iis millies philoſophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes: Deum inuocamus, et nihil amplius facimus, chriſtiana et fidelis eſt mulier, et quae ſunt eiusmodi, ea res eſt idololatria. S. CHRYSOST. *Homil. VIII. in Coloſſ.* Itaque *qui incantatores obſeruauerit, aut phylacteriis vſus fuerit, anathema ſit. can. 1. ibid.*

§. XXI.

Contra abuſum exorcismorum, amuletorum, imaginum, qui in eccleſia irrepſit.

Quod ſi dicas, ipſam eccleſiam exorcismis, amuletis, reliquiis, ſignis, et imaginibus non carere, queis ad ſanationem tam hominum, quam iumentorum, aut frugum conſeruationem vti videatur, tum non ego quidem,

ſed S. IRENAEVS tibi reſpondeat: *Non inuocationibus angelicis facit* (eccleſia) *aliquid, nec incantationibus, nec reliqua praua curioſitate. ſed munde, et pure, et manifeſte orationes dirigens ad dominum, qui omnia fecit, et nomen domini noſtri Ieſu Chriſti inuocans, virtutes ſecundum vtilitates hominum, ſed non ad ſeductionem perficit. Lib. II. cap. 57.* ſcilicet non in certis verborum formulis, non in nominibus, et ſcripturis, non in ſignis, et imaginibus, ſed in pura Dei inuocatione auxilium quaerit, vtque eo dirigatur animi intentio, vnde ſalus ſperanda eſt, ſigna, et caeremonias adhibet. Eos, qui aliter vtuntur ſacris remediis, a mente eccleſiae alienos eſſe conſtat, iisque S. CHRYSOSTOMVS *Sermon. XLIII. in Math.* inclamat: *ſacerdotes ex eo, quod ab hominibus volunt videri iuſti, phylacteria alligant circa collum, quidam vero partem*

tem aliquam Euangelii ſcriptam. Dic ſacerdos inſipiens, nonne euangelium quotidie in eccleſia legitur, et auditur ab hominibus? cui ergo in auribus poſita euangelia nihil proſunt, quomodo eum circa collum ſuſpenſa poſſunt ſaluare?

§. XXII.

Regulae praeſcribuntur.

Sed vereor, ne multis fruſtra hactenus inclamauerit, quos in viam rectam deducere multo minus noſtra auctoritas poterit. Attamen dabimus regulas ab iis obſeruandas, quorum in tollendis abuſibus valere debet auctoritas. 1) Non vſum inueteratum, ſed potius abuſum, ſed regulas ab eccleſia propoſitas: non multitudinem, quae rebus oblatis ſine vllo examine vtitur, ſequi: nec omnes paſſim obſeruantias, aut ritus, qui non raro dormientibus paſtori-

bus ſuccreuerunt, pro praxi eccleſiae catholicae reputari oportet. 2) praecipue attendendum eſt ad ea, ex quibus non ſolum ſpes populi nutritur, ſed et emolumentum in eccleſiaſticos, eorumque communitates redundat; incredibile enim eſt, quam cito eiusmodi obſeruantiae, etiam euidenter ſuperſtitioſae inualeſcant, et cum inualuerint, quam difficulter aboleri queant. 3) Iſtud ſi tentatur, et econtra ſub ſpecie zeli auitae religionis clamores in populo excitantur, quaſi ipſe religioſus ſanctorum, vel imaginum, aut reliquiarum cultus, aut probatus ab eccleſia ritus abolerentur: tum illis forti animo reclamandum eſt: *quia de hoc artificio eſt vobis adquiſitio. Act. Apoſt. XIX. 24. 25.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Idem

Denique 4) conſtanter incantetur CONCILII TRIDENTINI decretum *Seſſ. XXII. de obſeru. et euit. in celebrat. Miſſae. Vt ordinarii locorum epiſcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere ſedulo curent, ac teneantur, quae vel auaritia idolorum ſeruitus, vel irreuerentia, quae ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, verae pietatis falſa imitatrix, induxit.* Et paulo poſt: *poſtremo, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto, et poenis propoſitis caueant, ne ſacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neue ritus alios, aut alias caeremonias, et preces in miſſarum celebratione adhibeant praeter eas, quae ab eccleſia probatae, ac frequenti, et laudabili vſu receptae fuerint. Quarumdam vero miſſarum, et candelarum certum*

numerum, qui magis a ſuperſtitioſo cultu, quam a vera religione inuentus eſt, omnino ab eccleſia remoueant. Porro IDEM CONCILIVM *in Seſſ. XXV. Decret. de Inuocat. ſanct.* grauiter inculcat, vt *omnis ſuperſtitio in ſanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum ſacro vſu tollatur, omnis turpis quaeſtus eliminetur.*

Easdem has regulas latius deductas inuenies ap. VAN-ESPEN *Tom. II. P. III. Tit. IV. Cap. V. §. 55. ſeq.*

§. XXIV.

4) Praeſtigium, eiusque ſpecies.

Tranſeamus ad nouum, et ſummum impoſturae magicae genus, quod eſt 4) PRAESTIGIVM, vim, poteſtatemque miracula efficiendi praeſeferens, cuiusmodi *Iannes*, et *Mumbres* inter Aegyptios: EXOD. *VII. 11. II. ad Tim. III. 8. Simon Magus* inter Iudae-

daeos: *Apollonius Thyanaeus*, et alii impoſtores inter paganos fuerunt. Et quidem haereſiarchae vt plurimum miracula ſe patrare poſſe gloriabantur, vt nouis opinionibus ſuis fidem conciliarent, atque exiſtimationem. Omnes autem principiis magicis gentilium innixi falſis rerum adparitionibus, et externorum ſenſuum ludificatione homines deceperunt. Quare et *praeſtigiatores*, *calculatores*, qui oculos ſpectatorum agilitate ſua fallunt, adpellati ſunt. In quorum claſſem et illi pertinent, qui vi numinis interiori agitari ſe fingebant, et quaſi *ſpiritu prophetico*, et tanquam *Deo pleni* vaticinabantur, dicti propterea *Fanatici*, *Enthuſiaſtae*, *Diuini*, *Pythonici*, *Pythoniſſae*, *qui aſtuta quadam fraudulentia hominibus futura coniectant. can. 1. XXVI. q. III. et IV.*

§. XXV.

Leges eccleſiaſticae contra eas.

Quo loco iſti fuerint habiti, ex eo ſatis adparet, quod lex ciuilis poenam capitalem *L. 5. 7. cod. de Malef.* eccleſiaſtica autem ſeueriſſimam excommunicationis cenſuram iis irrogauerit. GRATIAN. *XXVI. q. V. in princ.* Non minori autem ſacrilegio ſe polluunt, qui huiusmodi impoſtoribus credunt, et ita diuinae maieſtatis potentiam creaturis temerarie attribuunt. *can. 5. ibid.*

§. XXVI.

5) Vana obſeruantia, eiusque ſpecies.

Rarior nunquam non fuerat haec magiae ſpecies, cuius executio fraudes non vulgares praeſupponit. Maiori facilitate imprudentium animis ſe inſinuauit. 5) VANA, et ſuperſtitioſa

OB-

OBSERVATIO dierum, et caſuum fortuitorum, vt fauſtorum, vel infauſtorum, et praeſagiendi exinde, ac ominandi conſuetudo, quae tamen ex iisdem paganiſmi principiis profluxit. Vt ſi a) *domum ſuam quis egreſſus hominem videt vnoculum, vel claudicantem, et ominatus eſt. Si virgo occurrerit, ſterilis dies erit: ſi vero meretrix dextera, et bona, et multa mercatione plena.* S. CHRYSOSTOMVS *Homil. XXI. ad Pap. Antioch.* b) *Cum tibi dicitur ſingultienti, vt dextera manu ſiniſtrum pollicem teneas. His adiunguntur millia inaniſſimarum obſeruationum, ſi membrum aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit. Hinc ſunt etiam illa, limen calcare, cum ante domum ſuam tranſit, redire ad lectum, ſiquis, dum ſe calceat, ſternutauerit: redire domum, ſi procedens of-*

fenderit: cum veſtis a ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali, quam praeſens damnum dolere. S. AVGVSTINVS *Lib. II. de doctr. chriſt. cap. 20. ap.* GRATIAN. *can. 6. XXVI. q. II.* c) *Si certis diebus ſiue menſibus, ſiue annis volunt, et nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora.* IDEM *in Enchirid. ap. eund. can. 17. XXVI. q. VII.* d) Si creditur vnum ex tredecim eidem menſae eodem tempore ſimul adcumbentibus intra vnius anni ſpatium moriturum.

§. XXVII.

Leges eccleſiaſticae contra eas.

Omnis haec obſeruatio paganismi eſt. *can. 13. XXVI. q. VII.* Et qui talibus perſuaſionibus ſe dederunt iuxta effatum apoſtoli, infirmi adhuc in fide ſunt, et vix vlla religione vtuntur;

tur; ait enim ad illos: *Timeo, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis, ad Galat. IV. et S.* CHRYSOSTOMVS *in Comment. ad Galat. I.* eis obiicit, quod ad *fallacem fati tyrannidem*, quod quidem in ipſis eſt, adducant, vt eccleſiae prohibitiones iam non commemorem. *can. 14. 16. ibid.* Quae omnia, *quamuis tanta celebritate, atque auctoritate per orbem in eccleſiis leguntur, plena ſunt tamen conuenticula noſtra hominibus, qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. can. 17. ibid.*

§. XXVIII.

Leges antiquae germanorum contra magiam latae adferuntur.

Porro antiquiſſimas germaniae noſtrae leges eam in rem, de qua hactenus nobis ſermo fuit, conditas ſilentio praeterire non poſſum. Tam enim multa, tam praeclara, tam digna omni

ni attentione continent, vt locum ſpecialem, et fere primum in hoc titulo mereantur. KARLOMANNVS *in capitulari II. ex concilio Liptinenſi de an. 743.* ap. BALVZ. *Tom. I. col. 150. indiculum ſuperſtitionum, et paganiarum* edidit, ex quo vno euidentiſſime adparet, quam nihil aliud ſit vniuerſa magia, quam paganae ſuperſtitionis conſectarium in religionem chriſtianam infeliciter traductum. Ideo cautum eſt, *vt fideles caueant vitia, quae ex ritu gentilium remanſerunt, id eſt, magiarioli, ſortilegi, venefici, diuini incantatores, ſomniatorum coniectores, quos diuina lex irretractabiliter puniri iubet. Capitul. Lib. VI. cap. 215.* ap. *eund. ibid. col. 961.* decretum quoque eſt, *vt ſecundum canones vnusquisque epiſcopus in ſua parochia ſollicitudinem gerat, -- vt populus Dei paganias non faciat, ſed vt omnes ſpurcitias gentilita-*

tatis abiiciat, et reſpuat, ſiue profana ſacrificia mortuorum, ſiue ſortilegos, vel diuinos, ſiue phylacteria, et auguria, ſiue incantationes, ſiue hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines iuxta eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum Martyrum, vel confeſſorum Deum, et ſuos ſanctos ad iracundiam prouocantes, ſiue illos ſacrilegos ignes, quos neofratres vocant, ſiue omnes, quaecunque ſunt, paganorum obſeruationes diligenter prohibeant. Capit. I. KARLOMANNI *de ann. 742. capit. 5. ap. eund. ibid. col. 147.*

Vid. omnino *capitul. aquisgran. III. de ann. 789. cap. 4. capitul. Lib. I. cap. 21. cap. 62. Lib. VI. cap. 72. addit. III. cap. 93. ap. eund ibid. col. 243. 707. 713. 934. 1174.* Indiculum, de quo diximus, illuſtrauit, et commentatus eſt IOAN. GEORG. AB ECKHARD. *in comment. de Reb. Franc. Orient. Tom. I. Lib. XXIII. §. 24. ſeq. fol. 407.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Atque ex iis imaginariae artis fabulae refelluntur.

Atque ita *perniciosissima haec mala, quae ex ritu gentilium remansisse non dubium est*, prohibita saepius sunt, sed nullam sanctionem poenalem ciuilem, nisi aliud crimen publicum concurreret, sapientissimi nostri legislatores adiecerunt. Sola enim magia effici aliquid posse haud credebant, licet alia esset superstitiosae plebis persuasio. FERVNT (magos) *suis maleficiis aëra posse conturbare, et grandines immittere, futura praedicere, fructus, et lac auferre, aliisque dare, et innumera a talibus* FIERI DICVNTVR. *Addit. capitul. II. cap. 21. ap. eund. ibid. col. 1143.* At non fiunt ab iis, sed *diuersa* FINGVNTVR *solummodo portenta. capitul.* HERALD. *Turonens. cap. 3. ap. eund. ibid.*

ibid. col. 1287. ſi enim quis a diabolo deceptus CREDIDERIT SECVNDVM MOREM PAGANORVM *virum aliquem, aut ſoeminam ſtrigam eſſe, et homines comedere, et propter hoc ipſam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit, vel ipſam comederit, capitis ſententia punietur. capitul. de Part. Saxon. cap. 6. ap. eund. ibid. col. 251.* Igitur *diuinos, et ſortilegos eccleſiis, et ſacerdotibus dare conſtituimus. ibid. cap. 23. col. 254. vt diligentiſſime examinatione conſtringantur, ſi forte confiteantur, malorum, quae geſſerunt. Sed tali moderatione fiat eadem diſtrictio, ne vitam perdant, ſed vt ſaluentur in carcere adflicti, vsque dum Deo inſpirante ſpondeant emendationem peccatorum. capitul.* CAROLI *M. II. de ann. 805. cap. 25. ap. eund. ibid col. 428. et faciant poenitentiam de his inlicitis praeſumtionibus. capitul.* PIPINI *de anno*

793.

793. cap. 31. ap. eund. ibid. col. 539.

Quod autem is, qui de ſalute principis, vel ſumma reipublicae magos conſulit, cum eo, qui reſponderit, capite puniri iubeatur *capitul. lib. VII. cap. 370. ap. eund. ibid. col. 1104.* Id ex iure romanorum deſumtum eſt. PAVLL. *ſent. recept. lib. V. tit. 21. §. 3.* et ex ſalute reipublicae rationem ſufficientem accepit.

§. XXX.

Nouiſſima magiae principia proponuntur.

Iam ſatis liquere arbitror, in ea fuiſſe veteres chriſtianos ſententia, magiam reapſe nihil aliud eſſe, quam mixturam, et complexum criminum ex idololatria, haereſi, apoſtaſia, ſacrilegio, hypocriſi, curioſitate, ambitione, homicidio, veneficio, ſtellionatu conflatum, eosque non multum ab ipſo magiae crimine diſtare, qui vaniſſimis magorum deliriis fidem adhiberent, vel ex illorum promiſſis,

aut

aut minis ſpem, metumue conciperent. Verum poſteris aliam magiae formam dare, eamque ex aliis longe principiis explicare placuit. Gentiles illi ſub nomine daemonis, cuius ope vterentur, modo ipſum Deum ſummum, modo Deos intermedios, modo animas defunctorum intelligebant. (ſupr. §. 1.) Chriſtiani recentiores angelum illum ab initio bonum, beatumque deinde ob ſuperbiae peccatum ad aeterna ſupplicia condemnatum *Matth. XXV. 41. II. Petr. II. 4.* ſubſtituerunt, firmiter perſuaſi: I.) miſerrimam hanc creaturam prorſus inſigni rerum omnium ſcientia, et poteſtate praeditam eſſe. II.) poſſe eam ab hominibus euocari; dein III.) pactum vel expreſſum, vel tacitum, et familiare commercium cum ea celebrari. Tum demum hominem paciſcentem magum, ſagamue conſtitui, diabolumque obli-

gari, vt ad nutum hominis non ſolum omnia recenſita hactenus artis magicae opera (ſupr. §. 4.) ſed et multo maiora *re vera* exequatur.

§. XXXI.

Et ex his magiae ſemichriſtianae conceptus.

Ita res, quam vetus eccleſia *credi* paſſa non eſt, quamque legislatores non aliter, quam in adiunctis criminibus punire iuſtum duxerant, pro reali aliquo atque diſtincto facinore venditabatur. Inde noua MAGIAE definitio conflata eſt, quod ſit *crimen, quo quis pacto expreſſo, vel tacito cum diabolo interueniente eius auxilium, et commercium ſibi ſtipulatur. Expreſſum* cum diabolo praeſente, et in corporali ſpecie vel beſtiae, vel hominis, vel monſtri comparente iniri volunt: *tacitum* ex eo erui praetendunt, ſi quis

ſiue

ſiue *ex malitia*, et data opera, ſiue *ex ignorantia*, et bona fide tales res, et obſeruationes adhibeat, quales in pactis expreſſis diabolo placere vulgus (vtinam vulgus tantum) ſibi perſuadet. Hanc autem de poteſtate magorum, et ſagarum regulam tradere ſolent, vt *quidquid a daemonibus ſibi ex pacto implicito, vel explicito concurrentibus expoſtulauerint, accipiant, niſi quoties ordinatione diuina prohibiti praeſtare nequeant, quod petitur.*

Horrendum expreſſi pacti cum diabolo, vt praetenditur, initi exemplum literis conſignauit R. P. MICHAEL STRVNCK *continuator annal. Paderborn. P. III. L. XXIII. ad ann. 1597.* vbi ſequentem caſum in pago quodam Weſtphaliae, cui Attelena nomen eſt, contigiſſe narrat, quem verbis ipſius auctoris hic recenſere lubet, ne narrationi incredibili quaedam addidiſſe, vel detraxiſſe videar. *Ruſticus quidam attelenſis*, inquit, *cum in aetate iuuenili ſeſe totum deuouiſſet infernali genio, accepit ab eo tres fabas, aut potius tria ſemina fabarum*

rum inſtar, ſimulque ab eo iuſſus eſt virginem occidere, caput eius reſecare, ad altitudinem trium pedum humi defodere, certoque modo tres illas fabas aperto eius ori inſerere, et implantare, vnde naſcituras eſſe tres alias fabas, quarum vna, ſi in ore teneretur, eidem praeſtitura ſit, vt fiat inuiſibilis: altera, vt vertatur in Lycanthropum, vel aliud animal, quodcunque voluerit: tertia, vt in alias quascunque res inanimes transformari, ſi velit, queat. Addit deinde paulo poſt idem auctor *cit. loc. fol. 589.* eundem ruſticum in iudicio criminali conſtitutum inter alia confeſſum eſſe, *ſe beneficiis iſtius fabae, qua inuiſibilis reddebatur, non ſolum furta, et homicidia multa, ſed etiam alias nequitias plurimas commiſiſſe. Alterius autem beneficio frequenter abiiſſe in lupum, vel aliud nociuum animal, eaque in figura vehementer nocuiſſe pecori, et hominibus etiam plures ex iisdem occidendo.* Tota haec narratio ex confeſſione huius ruſtici iudicialiter de crimine magiae inquiſiti deſumta ad trutinam rectae rationis, diuinae reuelationis, et canonum eccleſiae adpenſa anilem fabulam ſapere, et ſomnio hominis atra bile agitati ſimillima eſſe videtur. Sed plura de his paulo poſt dicentur.

§. XXXII.

§. XXXII.

Imputatusque huius magiae cultoribus operationes explicantur.

Atque hac ratione maleficorum ſectae imputabant 1) ope diaboli per aëra in remotiſſimas regiones in momento vehi, et tranſportari. 2) praecipue in montem *Bructerorum* in germania, vbi ſolennes cum daemone *conuentus* celebrent, ibique commeſſationibus, ac *choreis* indulgeant, cum eo *carnaliter* ſe *commiſceant*, eumque ſub ſpecie hoedi, vel ſimili adparentem impudicis, et turpiſſimis actibus adorent. 3) daemones in quaecunque vaſa concludere, aut aliis immittere. 4) ſe in *ſuccubos*, et *incubos*, vel alias beſtias transformare. 5) carminibus, incantationibus, et imprecationibus, figuris, ſignis generandi potentiam eripere. 6) quo ad vitam, et corpus nocere,

vel prodeſſe. 7) impenetrabilia contra armorum vim, et impetum corpora reddere. 8) efficere, vt quis diſpareat inuiſibilis licet praeſens. 9) theſauros reperire. 10) tempeſtates, et tonitrua excitare. 11) mures, pediculos, et eius generis nociuas beſtias producere, et in fruges immittere: et demum 12) ſolo vocis imperio neſcio, quae patrare poſſe. *Tanta iam ſtultitia oppreſſit miſerum mundum, vt nunc ſic abſurdae res credantur a chriſtianis, quales nunquam antea ad credendum poterat quisquam ſuadere paganis creatorem omnium ignorantibus. S.* AGOBARDVS *Archiep. Lugdunenſ. in libello de grandin. et tonitr.*

BOEHMER *Element. iurisprud. criminal. Sect. II. c. IV. §. 57.* Huiusmodi perſonas phantaſticas homine ſanae mentis, et chriſtiano indignas paſſim in quibusdam prouinciis germaniae praeſertim, hodiedum adhuc circumferri, easque credulae plebis adſenſum in-

inuenire experientia quotidiana docet, et ſcriptores confirmant. Audiamus vnum ex pluribus virum vaſtiſſima eruditionis fama percelebrem IOAN. GEORG. AB ECKART. *Creditum eſt vulgo*, inquit, *in comment. de Reb. Franciae orient. lib. XXIV. §. 26. diabolum quoque hoc tempore*, id eſt, *circa menſem Maium comitia cogere, et maleficis, ſagisque ſuis, quae velit, iniungere, poſtea vero conuiuium, et choreas in montibus vix acceſſibilibus illis praebere, qui magico vnguento illiniti hirco diabolico, furca, aut ſcopis inſidentes per aëra eo deferantur. Vulgus deinde iter hoc phantaſticum die S. Walburgi ſacro adfixit, qui calendas Maii quatuor diebus antecedit, nec a ridicula hac opinione, et abſurda hactenus plane reduci potuit.*

§. XXXIII.

Huius ſyſtematis prima veſtigia ſeculo XIII. occurrunt.

Luculenta nouiſſimi huius ſyſtematis veſtigia ſeculo XIII. primum occurrunt, cuius nouitate tactus B. THOMAS CANTIPRATANVS in libro

Bonum vniuerſ. de apibus lib. II. cap. 56. edit. duacenſ. de an. 1627. exclamauit: *Quis non obſtupeſcat in tam inexplicabilem caſum rerum ordinem, et rationem naturae ſuper id, quod aeſtimari poterit, variari?* Interrogauerat ea de re vir eruditus ALBERTVM M. magiſtrum ſuum, *ſed ille diſſimulauit, et noluit aliquid definire*, auctoritate multitudinis male credulae absque dubio abſterritus, quae inueteratae artis magicae principia ex ipſis religionis chriſtianae fontibus explicare geſtiebat, vt ſuperſtitionis ſuae fulcrum haberet.

Primus omnium, qui commercia, et pacta diabolica euulgauit, et in lucem publicam protulit, erat CAESARIVS HEISTERBACENSIS *in libris XII. illuſtrium miraculorum, et hiſtoriarum memorabilium an. 1227. editis.* vid. LEIBNIZ *Introd. ad Tom. II. ſcript. Brunswic. fol. 47.* VINCENT. *Bellouacenſ. in ſpeculo hiſtoriali*, quod ſe extendit vsque ad annum 1250. *lib. VI. cap. 106.*

106. hanc fabulam miris fabulis exornauit, quas circa ann. 1290. non ſolum repetiit, ſed et valde auxit IACOB *de Varagine in hiſtor. Longobard.* quae vulgo *Legenda aurea*, vel *ſpeculum ſanctorum* vocatur.

§. XXXIV.

Cum autem penitus fuerit incognitum.

Hactenus tamen craſſa haec doctrina ad *priuatas* tantum doctorum, quales aeui illius barbaries tulerat, opiniones pertinuit. Homines enim pacta cum diabolo inire, aut cum eo concumbere, aut conuentus ſolennes celebrare etc. eorum ſane nullum veſtigium in *actis publicis* praeteritorum temporum occurrit. In *Iure Iuſtinianaeo* habemus quidem *titulum de maleficis, et mathematicis*, ſed ex eo nullus adhuc pro noua magia argumentum ſumere auſus eſt. In *decretalibus* IX. ſaltem de *ſortilegiis* pauca quaedam dicuntur, cum ea de re in *ſexto*,

in *clementinis*, in *extrauagantibus* nullus omnino titulus occurrat. In *decreto* GRATIANI, in *legibus veterum Francorum* tantum abeſt, vt praeſidium inueniant magiae patroni, vt potius contrarium, et communis erroris impietas luculenter ex iis demonſtrari poſſit. (ſupr. §. 16. et ſeqq.)

IACOB GOTHOFRED. *ad leg.* 5. *cod. Theod. de malef. et mathemat. Tom. III. pag.* 21. *ſeq. Deſider. Eraſm. Roterodam. epiſt.* 91.

§. XXXV.

Seculo XIV. adhuc intra plebeiae perſuaſionis limites perſtitit.

Quin imo per integrum adhuc ſeculum XIV. magia haec intra priuatae, et plebeiae perſuaſionis limites perſtitit. Famoſa eſt in rem noſtram IOANNIS XXII. *conſtitutio* SVPER ILLIVS SPECVLA *in Bullar. roman. Tom. I. fol.* 204. circa annum 1325. edita.

Vti-

Vtitur in ea pontifex metaphoris ex ſacra ſcriptura petitis, expreſſe tamen nihil decidit. Lamentatur ſolum, *eſſe chriſtianos, qui relicto primo veritatis lumine tanta erroris caligine obnubilantur, quod* CVM MORTE FOEDVS INEVNT, ET PACTVM FACIVNT CVM INFERNO (ISAI. *XXVIII. 15.*) *daemonibus namque immolant: bos adorant: fabricant, ac fabricari procurant imagines: annulum, vel ſpeculum, vel phialam, vel rem quamcunque aliam magice ad daemones inibi adligandos, ab his reſponſa petunt, ab his recipiunt, et pro implendis paucis ſuis deſideriis auxilia poſtulant.* Dein pontifex *in §. 1. cit. conſtit.* iſta grauiſſime prohibet, et in contrauenientes *§. 2. loc. cit.* excommunicationem latae ſententiae pronunciat.

Interim IOAN. DVNS ſubtilis ille Doctor an. 1308. mortuus diaboli cum hominibus commer-

mercia ſcholae ſuae explicauit. *lib. IV. diſt. 34. q. I.* et iam eo proceſſerat plurimorum inſania, vt artes magicas, et ſimiles irrationabiliter ab eccleſia prohibitas dixerint, eo quod Deus per eas inducatur daemones compellere ſuis inuocationibus obedire, et quod ſancti Prophetae, et alii per tales artes habuerint ſuas prophetias, et miracula fecerint, aut daemones expulerint. Cuiusmodi propoſitiones XXVIII. *Academia Pariſienſis an. 1398.* condemnare neceſſe habuit. Extat hoc decretum ſacrae facultatis in *Mall. Malefic. Tom. II. P. II.*

§. XXXVI.

Quam tamen Inquiſitores ſeculo XV. egregie propagarunt.

Interim Inquiſitores haereticae prauitatis ſeculo XIII. inſtituti ſub praetextu haereſeos etiam de crimine magiae indiſtincte cognoſcere, et id ad ſuum forum trahere conabantur, eos quidem repreſſit ALEXANDER IV. *in cap. 8. §. 4. de haeret. in 6.* addita tamen limitatio-

tione: *niſi haereſin ſaperet manifeſte*, ſpatioſam illis portam aperuit ſub iſto colore, deinceps contra eos, qui falſo magiae, et occulti ſatanae foederis inſimulabantur, ſaeuiendi, quod et ſeculo XV. ſtrenue factitarunt PHILIPP. A LIMBARCH. *hiſt. Inquiſ. lib. I. cap. 23.* praeſertim poſtquam SIXTVS IV. anno 1474. ſatis aperte declarauit, *haereticum eſſe, et a puritate fidei alienum, daemonum exſpectare reſponſa cap. 2. de malef. et incantat. in VII.* Tandem Innocentius VIII. an. 1484. in fauorem inquiſitorum litem diremit *cap. 4. loc. cit. add. Bullar. Rom. Tom. I. fol. 429.* Ad eum enim cum relatum eſſet *in nonnullis partibus Allemanniae ſuperioris, nec non in Moguntinenſi, Colonienſi, et Bremenſi prouinciis complures magos, ſagasque exiſtere*, HENRICO INSTITORI, ac IACOBO SPRENGER inquiſitoribus earum par-

partium IOANNEM GREMPER clericum Conſtantienſis dioeceſis adiunxit, vt iam de crimine magiae tanquam indubitata ſpecie haereſeos ſedulo inquirant.

Idem dein negotium ALEXANDER VI. ann. 1492. inquiſitoribus Lombardiae commiſit. *cap. 1. loc. cit.* Nihil adhuc quidem in horum pontificum conſtitutionibus de pacto diabolico occurrit, fabulas tamen de magorum poteſtate vt indubitatas ſupponunt, qua de re omnino legi meretur conſtitutio INNOCENTII VIII. *cit.* Aſt inter doctores priuatos praecipue hic commemorandum eſt IOANNIS NIDER *Isnenſis Sueui* Dominicani, et Profeſſoris Theologiae apud Baſileam *formicarium* circa annos 1410-30. editum, in quo de pactis diaboli, et concubitu a ſagis, ac ſimilibus plena reperitur narratio; vnde ſubſequentibus temporibus reliqui pleraque hauſerunt. Ipſi inquiſitores HENRICVS INSTITOR, et IACOBVS SPRENGER conſcripſerunt *malleum maleficarum* librum ineptiis, et nugis refertum, quem vt pondus auctoritatis adderent, anno 1487. a Magiſtris, et Profeſſoribus Theologiae Colonienſibus adprobari curarunt.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Donec auctoritate publica ſeculo XVI. fuerit ſtabilita.

Tandem in illa incidimus tempora, quibus communis haec magiae perſuaſio, et praeiudicium tot legibus publicis, doctorum libris, rerum iudicatarum auctoritate, rogisque innumeris firmatum ad apicem peruenit. S. CAROLVS BORROMAEVS *in Concil. Mediolan. I. de an. 1565.* illorum impietatem condemnat, *qui quouis artis magicae, et veneficii genere* PACTIONES, *et foedera* EXPRESSE, *vel* TACITE *cum daemonibus faciunt. ap.* HARDVIN. *Tom. X. col. 643.* Poſtea SIXTVS V. in grauiſſima conſtitutione COELI ET TERRAE *de an. 1585. ſortilegos non ſine daemonum ſaltem occulta ſocietate, aut* TACITA *pactione operari aſſeuerat:* alios porro eſſe, *cum morte foedus*

dus ineunt, et pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, vel ad alia facinora perpetranda, etiam EXPRESSA *cum diabolo pactione facta artes magicas adhibent:* recenſet ſimul omnes magiae ſpecies, operationes, et effectus, vt digna omnino ſit, quae legatur. vid. *Bullar. rom. Tom. II. fol. 553.*

Hac aetate ſcilicet an. 1579. IOAN. BODINVS homo ſuperſtitioſiſſimus edidit *libros IV. de magorum daemonomania*, in eo totus, vt facta inquiſitorum defendat, potiſſimum ad exempla confeſſionum, et fabellas putidiſſimas, in eo maxime capite, vbi de expreſſo pacto agit, prouocans. Eiusmodi auctorum dicta, et inquiſitorum fabulas repetiit anno 1591. PETR. BINSFELDIVS Suffraganeus Treuirenſis in *tractat. de confeſſion. Malefic. et Sagarum.* Poſt eum an. 1594. NICOL. REMIGIVS *in libris III. daemonolatriae.* Maximo denique adparatu an. 1599. MARTINVS DEL RIO, S. I. edidit *libros VI. diſquiſitionum magicarum*, maximumque pondus addidit perſuaſioni de pac-

pacto daemonum cum ſagis, et fide confeſſionibus ſagarum adhibenda.

§. XXXVIII.

Dein ſeculo XVII. magis adhuc confirmata.

Seculi XVII. an. 1623. GREGORIVS XV. edixit: vt conſtito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, et maleficiis aliquem interemerit, curiae ſaeculari tradatur: *conſtitut.* OMNIPOTENT. *Bullar. rom. Tom. III. fol. 498.* SIXTI V. vero conſtitutionem (de qua §. praec.) confirmauit, ampliauitque an. 1631. VRBANVS VIII. additis poenis contra illos, qui vel vtuntur diuinatione, vel reſponſa quaerunt ſuper ſtatu reipublicae chriſtianae, ſedis apoſtolicae, vita, et morte ſummi pontificis, eiusque conſanguineorum vsque ad tertium gradum incluſiue, *conſtit.* INSCRVTABILIS *Bullar. rom.*

Tom. IV. fol. 184. Libros quoque magicos ſeueriſſime prohibuit *conſtit.* APOSTOLATVS *ibid. fol. 186.*

Magno veritatis detrimento IACOBVS *Rex Angliae, et Caluini aſſecla an. 1606. daemonologiam* edidit, in qua artis magicae, et pactorum diabolicorum ineptias defendere adgreſſus eſt. Lepidiſſime FRANC. TORREBLANCA *in libris IV. de Magia* an. 1613. editis ex adlegatis legum, ac doctorum probat, *contractum diaboli cum ſagis eſſe innominatum* DO, VT FACIAS, *ex quo naſcatur actio praeſcriptis verbis diabolo quidem aduerſus hominem, non tamen aduerſus daemonem. Etſi enim vltro citroque obligationem producant, in daemonem tamen non cadere poſſe obligationem, neque ciuilem, neque naturalem, quia non ſit pura creatura, anima, et corpore conſtans, neque hominem habere iuſtam cauſam ea de re conquerendi, quia contrahens non debeat eſſe ignarus conditionis eius, cum quo contrahit. Lib. II. cap. 6. num. 4. ſeq. loc. cit.* Huc quoque pertinet criminaliſtarum olim dux, et auriga BENEDICT. CARPZOV. *in pract. rer. crimin. quaeſt. 48. 49. 50.* R. P. FRANC. XAV. ZECH *S. I. de iudic. eccleſ. Sect. II. Tit.*

Tit. XXI. vbi §. 258. illam quoque quaeſtionem egregiam, *an et qua ratione liceat pactum diabolicum ſoluere* ſedulo diſcuſſit. Item P. ANTON. SCHMIDT *S. I. inſtit. iuris eccleſ. Tom. II. P. IV. cap. III. §. 46. in ſchol.* qui hodie adhuc magiae nouae hactenus deſcriptae exiſtentiam defendunt.

§. XXXIX.

Verum figmenta haec refutantur.

Haec ſunt fata opinionis artis magicae, quae tanta tyrannide per aliquot ſecula rectae rationi illuſit, vt extirpari penitus e multorum animis hactenus vix potuerit. Cum vero eiusmodi errores refutaſſe, quanti ad excolendam iuris eccleſiaſtici diſciplinam interſit, ii ſatis intelligant, qui ingenio pollent, et veritatem cordi habent, operae pretium omnino eſt, vt id iam adcuratius agere inſtituamus.

§. XL.

Et demonſtratur I.) nullam eſſe diaboli poteſtatem.

Conſiderabimus I.) *poteſtatem diaboli*, quae *regulariter nulla* eſt, niſi inſcrutabile Dei iudicium *exceptionem* fieri permittat. Quam regulam, a qua ſemi-fideles noſtri nouum ſuum magiae ſyſtema ſtabiliendo toto coelo aberrant, iam dudum demonſtrauit S. AGOBARDVS *loc. cit.* (ſupr. §. 31.) Quod enim is *in ſpecie de grandine, et tonitru* dixit, quod *tempeſtariarum, ac daemonum hac in re nulla ſit poteſtas*, id generatim ex eodem fundamento adferendum eſt. *Vtrum enim verum ſit, vt vulgo creditur, ex auctoritate diuinarum ſcripturarum probetur neceſſe eſt: ſed in ſcriptura ſoli ſemper Deo adſcribitur, quidquid in aëre fit, quidquid mari, et ventis, quidquid de aëre*

in terram deſcendit: Ergo falſi teſtes, et mendaces ſunt, qui admirabile, et valde terribile opus Dei Deo auferunt, vt homini, aut diabolo tribuant. Ideo in CONCIL. BRACARENS. I. *can. 8.* conſtitutum eſt: *ſi quis credit, quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, et tonitrua, et fulgura, et tempeſtates, et ſiccitates ipſe diabolus ſua auctoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit. ap.* HARDVIN. *Tom. III. col. 349.*

Triplici modo aiunt, diabolum poteſtatem ſuam in homines exercere. 1) per *tentationes.* 2) per *obſeſſiones corporum.* 3) per *obedientiam* magis, et ſagis praeſtitam. Primam cur admittamus, adeſt ratio ſufficiens I. PETRI *v. 8. ad Epheſ. VI. 2.* Quod ad obſeſſiones daemoniacas attinet, ſtatuendum eſt, quod ſpiritus reprobi non ex generali, diuina, quae ordini naturae ſe accommodat, ſed *ex prorſus ſpeciali, et nunquam praeſumenda permiſſione* Dei, et voluntatis diuinae *concurſu* demum poſſint humanum pectus inhabitare, ſicuti tum adparuit, quum

fides chriſtiana in origine ſua miraculis firmanda fuit. MATH. VIII. 21. MARC. V. 10. Poteſtas autem ad deſideria, et coniurationes magorum *vi obligationis* alicuius per pactum quoddam contractae mirabilia quaecunque efficiendi, in diabolo nunquam fuit, nec eſſe potuit.

§. XLI.

II.) Eum nec euocari, nec in ſpecie corporali comparere poſſe.

Sed neque II.) *euocari* ab hominibus diabolum, eumque in *ſpecie quadam corporea comparere* poſſe, iis omnibus certum eſt, qui ratione vtuntur, anne peſſimo, et miſerrimo huic ſpiritui immenſitatem Dei, vt vbique adſit, et nos audiat, tribuamus? Et ſi re vera adſit, qua ratione nos audiet? an ſicut ſancti in Deo, et per Deum preces noſtras percipiunt, ita et diabolus? Poſſe euocari ſanctos, et angelos bonos cum iis tractari, commercia, et pacta celebrari, id nemini hac-

te-

tenus in mentem venit: poſſe iſta omnia cum diabolo fieri, id pertinaciter, et quaſi de religione ageretur, defendunt etiam. Naturae ordinem a daemone immutari non poſſe, neque ſpiritus carnem, et oſſa habere Lvc. *XXIV. 39.* dicunt, ſed daemonis poteſtatem pro arbitrio ſpeciem corporalem adſumendi, et cum hominibus familiariter conuerſandi, vt indubitatam ſupponunt, et quod non niſi per ſpeciale, et extraordinarium Dei iuſſum, et ordinationem fieri poſſe ſana ratio dictat, id absque ſcrupulo propriae, et ordinariae daemonum poteſtati temerarie adtribuunt.

§. XLII.

III.) Neque pactum aut expreſſum, aut tacitum cum eo iniri poſſe.

Quid iam III.) *de pactis* cum diabolo *expreſſis*, aut *tacitis* ſit dicendum,

omnes intelligunt, ea ſane in terminis, vt aiunt, repugnant; fieri enim non poteſt, vt pactum de re *phyſice*, aut *moraliter impoſſibili* effectum habeat. Aut quaenam, quaeſo, erit hominis obligatio, quodnam *ius diaboli*, aut vice verſa, ex eiusmodi conuentione deſcendens? Dicunt magiae ſemi-chriſtianae patroni, daemoni liberum eſſe ſeruare fidem datam, vel fallere, eumque, cum ſtat promiſſis, id ſponte, ac ſubdole facere, vt ſic magos retineat ſibi deuinctos, aliosque ſeducat. Quale vero iſtud eſt rationis monſtrum, diabolo ius tribuere, vi cuius animam magi, vel ſagae certo tempore elapſo in tartara pertrahat? Ius eſſe homini auxilium ſatanae poſtulandi, obligationem, vt diaboli mancipium, et fidele inſtrumentum eſſe perſeueret? Deus ergo iuri, quod habet in animam, morte ſua redemtam renunciauit,

uit, eamque, quam alias nonniſi quaſi inuitus, et a peccatore coactus poſt mortem aeternae infelicitati tradit, arbitrio diaboli commiſit? Magus autem libertate ad Deum ſuum reuertendi priuatus corde etiam contrito fruſtra eius miſericordiam iure daemonis impeditam praeſtolatur?

§. XLIII.

Idem.

Ita eſt; videas enim, quam anxie de remedio ſibi proſpexerint daemonem cogendi, vt ſchedulam contractus reddat, ne actione praeſcriptis verbis eius implementum vrgeat. (ſupr. §. 37.) Tollas licet hanc dementiam, nondum tamen pacti diabolici abſurditatem ſuſtuliſti; adhuc enim praeſumendum erit, homines chriſtianos paciſci velle cum ſpiritu, de cuius impotentia, perpetua malitia, et mendicita-

te conuicti ſunt. *Ioan. VIII. 44.* vt ita ſolum ſuum detrimentum, nullam vtilitatem ſperare poſſint. Et concedamus etiam, cum nullum ſit homine ſtultius animal, homines eſſe reuera ita ſtultos, vt foedera cum diabolo quaerant: an putas, diabolum aeque ſtultum eſſe, vt absque vllo fructu pactum cum homine ineat? Satis eſt mancipium diaboli, vt hominibus noceat per magos: ſed ſi nocere poteſt, id vnum ſtatim aget, et occaſionem, donec hominem ad pactum inducat, elabi non patietur. Si non poteſt, nihil iam pacta magica proderunt, quae poteſtatem diabolo non tribuunt, ſed eam iam ſupponunt. An vt duplex vinculum fortius liget, et vt magus non tam facile poſſit laqueos diaboli euadere, quam ſi ſolum ſit mancipium adfectuum. Verum iſtud ſupponit obligationem hominis, ius vero diaboli,

vtrum-

vtrumque abſurdum, rationi, et religioni contrarium, et indigniſſimum.

§. XLIV.

Iſta confirmantur per can. 12. XXVI. q. V.

Confectum iam eſt, irritam, inanem, monſtroſam eſſe illam magiae ſpeciem, ſeculis omnibus vsque ad XIII. (ſupr. §. 32.) incognitam, et ex principiis ethnicis, iudaicis, chriſtianis ignorantiae temporibus conſarcinatam. Quod vt luculentius pateat, et purae auctoritatis pondere obruantur, qui rationem negligunt, iuuabit antiquiſſimum eccleſiae canonem huc referre: eſt ille *can. 12. XXVI. q. V.* vbi §. 1. ita dicitur. *Illud etiam non eſt omittendum, quod quaedam ſceleratae mulieres retro poſt ſatanam conuerſae, daemonum illuſionibus, et phantaſmatibus ſeductae* CREDVNT, ET PROFITEN-

TVR,

TVR, *ſe nocturnis horis cum Diana, dea paganorum, vel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare ſuper quasdam beſtias, et multarum terrarum ſpatia intempeſtiuae noctis ſilentio pertranſire, eiusque iuſſionibus velut dominae obedire, et certis noctibus ad eius ſeruitium euocari.*

Canon iſte ab aliis *Concilio Ancyrano*, *ab aliis* DAMASO *Papae* tribuitur, a quibusdam vero vel ex *legibus Francorum*, vel ex quodam libro, qui S. Auguſtino adſcribitur, excerptus dicitur: *correctores romani* eum ex codice quodam vetuſto, ſeu *libello ſexdecim librorum partialium* depromtum eſſe monent. VAN ESPEN *Tom. III. in comment. ad can. cit.*

§. XLV.

Idem.

Audiamus vero, quaenam fuerit ſententia antiquiſſimae doctrinae: *innumera multitudo hac falſa opinione decepta* HAEC VERA ÉSSE CREDVNT,

ET

ET CREDENDO *a recta fide deuiant*, et errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter ſacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia praedicare debent, vt nouerint, haec omnino falſa eſſe, *et non a diuino, ſed a maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. - - Omnibus itaque publice adnuntiandum eſt, quod,* QVI TALIA, ET HIS SIMILIA CREDIT, *fidem perdidit: et qui fidem rectam in domino non habet, hic non eſt eius, ſed illius, in quem credit, id eſt diaboli. Nam de domino noſtro ſcriptum eſt:* OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT *etc. Quisquis ergo aliquid credit, poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia*

fe-

fecit, et per quem omnia facta ſunt, procul dubio infidelis eſt, et pagano deterior.

Quia tamen venefici ea perſuaſione ducuntur, ſe in rei veritate choreas, conuiuia, concubitus etc. cum diabolo egiſſe, contrarium hoc modo *in can. cit.* euincitur: *ſiquidem ipſe ſatanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculae coeperit, et hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum, atque ſimilitudines, et mentem, quam captiuam tenet, in* SOMNIIS *deludens modo laeta, modo triſtia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per deuia quaeque deducit, et cum* SOLVS SPIRITVS *hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, ſed in corpore euenire opinatur. Quis enim non in ſomnis, et nocturnis viſionihus extra ſe educitur, et multa videt dormiendo, quae nunquam viderat vigilando; quis vero tam ſtultus, et hebes ſit, qui haec omnia, quae in ſolo* SPIRITV *fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur.*

§. XLVI.

§. XLVI.

Qui canon ad omnes magiae ſpecies pertinet.

Nemo dicat, canonem iſtum in ſpecialem tranſportationis diabolicae circumſtantiam, aut in eos tantum, qui cum Diana, vel Herodiade ſe rem habere putant, conceptum eſſe; nam non ſolum, qui *talia*, ſed et *qui his ſimilia credit*, *fidem perdidit*, *cum aliquid diuinitatis*, *aut numinis extra vnum Deum arbitrantur eſſe.* Qui credit, quod magi poſſint aliquem ſuſurris occidere absque eo, quod alicui venenum praebeant, qui credit, quod figuris, et ſignis adhibitis poſſint exanimem reddere puerum alias vegetum, qui credit, quod quantumuis diſtent, poſſint coniugatis potentiam generandi auferre, aut abortum procurare; qui credit, quod

poſ-

poſſint tempeſtates excitare; qui credit, quod Simon volauerit per aëra etc. (ſup. §. 43.) an is res minus mirabiles credit, quam ille, qui ſibi perſuadet id, quod canon noſter explodit? Itaque qui fidem praeſtat omnibus ſimilibus nugis, et quod inde ſequitur, vim miraculoſam aliis, quam Deo tribuit, is absque dubio ex *canonis cit.* ſententia *fidem perdidit, infidelis eſt, et pagano deterior.*

§. XLVII.

Reſoluuntur obiectiones petitae 1) ex hiſtoria gentilium.

Videamus nunc, quibus daemonographi argumentis ſententiam ſuam tueantur. Adferunt 1) ex *hiſtoria*, quod inter gentiles plurimi, qui magorum nomine, et doctrina inclaruerunt, operationes miraculoſas patrauerint, futura praedixerint, et genera-

ratim non verbis tantum, ſed etiam re ipſa magos ſe oſtenderint. Id autem aliter ac ope diaboli fieri non potuiſſe. Sed his multiplici modo reſponderi poteſt. Primo, *nos non habemus neceſſe omnia credere, quae continet hiſtoria gentium, cum et ipſi inter ſe hiſtorici quaſi data opera, et quaſi ex induſtria per multa diſſentiant; ſed ea, ſi volumus, credimus, quae non aduerſantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere.* S. AVGVSTIN. *de ciuit. Dei lib. XXI. cap. 6.* deinde *merito neget quiſpiam tam daemones, quam deos ſparſorum per vrbes oraculorum auctores fuiſſe, remque totam in errorem vulgo, ac goetarum fallaciam conferat* EVSEB. *praep. euang. lib. IV. cap. 2.* Quorum mendacia, et impoſturas ipſi ethnici arguebant (ſupr. §. 6.) igitur *haec omnia veriſſime deluſiones erant hominum infidelium.*

CLEMENS ALEXANDR. *admonit. ad gent.*

Miracula celebriora, et vaticinia gentilium refert R. P. PETR. GAZZANIGA *praelect. theol. Tom. IV. dissert. I. §. 123.* Et sin minus omnia saltem plurima meras fuisse sacerdotum, et magorum fraudes adserit. Teneamus nos regulam, et omnia vana, falsaque esse, nihilque vnquam magicis artibus effectum fuisse statuamus.

§. XLVIII.

2) Ex sacra scriptura.

Grauiora in speciem sunt, quae 2) ex *sacra scriptura* depromuntur. Cum enim Moyses, vt missionem suam demonstraret, virgam Aaronis in serpentem, et omnem aquam Aegypti in sanguinem verteret, magi, et sapientes *fecerunt per incantationes aegyptiacas, et arcana quaedam similiter.* EXOD. VII. VIII. SAVL desperabundus ad magos, et ariolos, quos antea eiecerat, *I.* REG. *XXVIII. 3.*

con-

confugit, et per pythoniſſam in Endor reſuſcitata eſt ad eius poſtulationem anima Samuelis. *ibid. 7.* Non hominum, inquiunt, ſed diaboli potentia, et auxilio talia effici potuiſſe per eos ſcilicet, qui *percuſſerunt foedus cum morte, et cum inferno fecerunt pactum. Iſai. XXVIII. 15.* An non diabolus ipſi ſeruatori noſtro in forma corporea adparuit, eumque ſupra verticem montis, et pinnaculum templi portauit, pacti denique *expreſſi* conditionem obtulit, oſtendens ipſi theſauros totius mundi, dicensque: *haec omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me?* MATH. *IV.* Ipſe Deus populum ſuum primo admonuit, ne audiat verba prophetae illius, aut ſomniatoris, *licet euenerit, quod locutus eſt.* DEVTER. *XIII. 1. ſeq.* Dein non vno in loco prohibet, ne quis *ſit maleficus, nec quis pythones conſulat, nec*

diuinos, aut quaerat a mortuis veritatem. DEVTER. *XVIII. 9.* LEVIT. *XIX. 26. 31. XX. 6. Vir* enim, *ſiue mulier, in quibus Pythonius, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur. ibid. 27.* et generatim *maleficos non patieris viuere.* EXOD. *XXII. 18.* Planam igitur eſſe, et in diuina reuelatione fundatam diaboli poteſtatem, magorum, ſagarumque malitiam.

§. XLIX.

Idem.

Fateor, ſunt haec loca eiusmodi, ex quibus multi plebeium magiae conceptum ſtabiliuerunt, ſed eruditis aliud longe demonſtrant: ſapientes, et malefici, quos vocauit Pharao, impoſturis, et praeſtigiis conſuetis vſi ſunt, vt miracula Moyſis eluderent, et nihil omnino eſt, cur ad poteſtatem, et operam daemonis hac in re

re-

recurramus. SAPIENT. *XVII. 7.* Samuel vero non dominante arte magica, ſed diſpenſatione Dei occulta, quae pythoniſſam, et Saulem latebat, ſe regi perhibuit diuina eum ſententia percuſſurus. S. THOMAS *2. 2. q. 95. art. 4. ad 2.* Non ergo opus eſt pacto diabolico, ne ſecus omnes, qui Deo relicto vias peruerſas gradiuntur, et ita cum inferno, et morte *quaſi* paciſcuntur, magos, et ſagas dicamus. *I.* CORINTH. *X. 20.* Id vero ab omni ratione prorſus alienum eſt, ex eo regulam, et naturalem rerum ordinem conſtruere, quod Chriſtus ad oſtendendam diuinitatis ſuae gloriam extra omnem ordinem conſtituit. Et quid, ſi ſenſum literalem ſacri textus ſequamur, diabolo hic permiſit? vt pacti conditionem *offerat* aliunde impoſſibilem, et mendaciis, quod genio eius congruit, plenam. Ex his igitur in-

tolerabilis est ad artem magicam conclusio, quam ecclesia per tot secula nullibi deprehendit.

§. L.

Idem.

Quod si omnem magiam sub poena capitali a Deo prohibitam fuisse legimus, cur diuinam sanctionem ad magiam diabolicam ad pacta cum diabolo pertinere dicamus? Prohibuit Deus gentilium superstitiones, goetarum scelera, et abominationes DEVTER. *XX. 18.* verae religioni e diametro contrarias, atque magiae vanitatem, et fallaciam non artem magicam ostendit. *Sta cum incantationibus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior.* ISAI. *XLVII. 12.* Illum, qui idola de euentibus rerum consulit, in-

cre-

crepat ſacer textus: *Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt, et qui in omnibus eſt inutilis.* SAPIENT. *XIII. 17. 9.* quia *idola nec male poſſunt facere, nec bene.* IEREM. *X. 5.* ISAI. *VIII. 19. ventus enim, et inane ſunt ſimulacra idololatrarum.* ISAI. *XLI. 29. I.* CORINTH. *VIII. prophetae, qui in pecunia diuinabant.* MICHEAE *III. 11.* Ideo *auferam maleficia de manu tua.* MICHEAE *V. 11.* non quod reuera aliquid praeſtare poſſint, ſed quod *fornicationem ſpiritualem*, ſeu idolomaniam, et veneficorum malitiam comprehendant. *IV.* REG. *XXI. IX. 22. I.* REG. *XV. 23.* DEVT. *XIII. 5.* ISAI. *XLIV. 25.*

§. LI.

3) Ex SS. Patribus.

Inſuper *3) SS. Patrum auctoritatem* nobis obiiciunt, traditionemque,

magiam, et poteſtatem diabolicam ſaltem ante Chriſti aduentum valuiſſe, neque omnia magorum veterum facta fraudibus, ſed veris daemonum operationibus adſcribenda eſſe. Chriſtus enim *exſpolians principatus, et poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemet ipſo.* ad COLOSS. *II. 15. cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum euacuauerit omnem principatum, et poteſtatem, et virtutem. I.* ad CORINTH. *XV. 24. ligato daemone, et concluſo in abyſſo, vt non amplius ſeducat gentes.* APOCAL. *XX. 2.* ſubiectis ſibi angelis, et poteſtatibus, et virtutibus. *I.* PETR. *III. 22. principe huius mundi foras eiecto.* IOAN. *XII. 21. olim* igitur *daemones variis* SPECTRIS *hominum mentes decipiebant, fontibusque, et fluuiis, lignisque, aut lapidibus inſidentes ſtultos mortales praeſtigiis percellebant; iam vero poſt diuini*

ver-

verbi aduentum euanuerunt huiusmodi fallaciae. Ita *de vniuerſa arte magica eius nomine crux Chriſti triumphauit.* S. ATHANAS. *de incarnat.*

§. LII.

Ex quibus magiae exiſtentia neque ante,

Profecto diuinus eſt Chriſti triumphus, qui debellato ſatanae regno imperium mortis per peccatum inuectae abſtulit, et poſt futuram iuſtorum reſurrectionem omnem omnino principatum eius euacuauit. Is ipſe generis humani redemtor, qui ab aeterna morte ab inferni miſeriis nos liberauit, ſopitis poſt tria ſecula perſecutionibus vniuerſam eccleſiam exagitantibus hoſtis noſtri furores compeſcuit, et adligauit. Hunc ſenſum ſacrarum literarum ſancti Patres optime perſpexerant, et cum magiam Chriſti primum

morte deſtructam eſſe adſerunt, non id volunt, quaſi ante Chriſti aduentum iactata magia exſtiterit, ſed id aliam habet rationem: conabantur ſcilicet ab idolorum cultu gentiles abſtrahere, et cum fraudes, nugasque magorum, et ſacerdotum detegere difficile, ac periculoſum fuiſſet, ſatis ipſis erat, vt oſtenderent, Deos, quos colerent, et quorum ope magos operari dicerent, alios eſſe non poſſe, quam daemones, et magorum facta ab iisdem auctoribus prouenire, non quod iactatae arti fidem adhiberent, ſed quod transmiſſa interim factorum ſingularium veritate argumento ad hominem vſi ad veram religionem gentes conuerterent. *Neque vero noſtram hanc orationem eſſe putes*, ait EVSEB. *de praeparat. euang. v. 7.* dum de magia gentilium loquitur, *quippe qui nihil iſtorum a nobis intelligi, aut experti*

ti fatemur. Quid enim dicemus magiam? Quod omnes pene fallaciam. TERTVLLIAN. *de anim. cap. 57.* Et ita innumera patrum loca, vel mendacia pernicioſa gentilium referunt, vel nihil aliud, quam fraudes idololatriae depingunt; per magum vero a daemonibus poſſe mala, vel bona quaecunque patrari, id nullibi dicunt, multo minus abſurda pactorum diabolicorum commenta referunt, veriſſime tamen promulgato euangelio idololatriam, et connexam cum ea magiam deſtructam eſſe concludunt.

§. LIII.

Neque poſt Chriſti aduentum

Sed quid, ſi actualem etiam magiae diabolicae exiſtentiam SS. Patres defendunt? S. HIERONYMVM poteſtatem diaboli in corporali ſpecie hominibus adparendi, malaque inferendi cre-

credidiſſe teſtantur non ſolum vitae *Eremitarum Pauli, Hilarionis*, et *Malchi* ab ipſo conſcriptae, ſed et ea, quae de ſua flagellatione ob ſtudium ſcriptorum ethnicorum magna cum adſeueratione narrat. *epiſt. ad Euſtoch. de cuſt. virg.* S. AVGVSTINVS *daemonibus corpora tribuit, ſyluanos, et faunos, quos vulgo incubos vocant, mulieribus cohabitaſſe, et quosdam daemones hanc adſidue immunditiam et tentare, et efficere. de ciuit. Dei. lib. XXI. 10. XV. 23. VIII. 19. Dein vniuerſam magiam ex quadam peſtifera ſocietate hominum, et daemonum quaſi pacta infidelis, et doloſae amicitiae conſtituta,* penitus repudiandam eſſe monet, et *artium magicarum molimina pacta quaedam ſignificationum cum daemonibus placita, atque foederata* vocat. *ap.* GRATIAN. *can. 6. XXVI. q. II.* Quae omnia confirmantur a S. GREGORIO

M.

M. in libris IV. dialogorum, quos *de vita, et miraculis patrum conſcripſit.*

RABANVS MAVRVS *in libello de magorum praeſtigiis ap.* GRATIAN. *can. 2. XXVI. q. III.* et *can. 14. ibid. q. V.* quem ipſe ex variis *Auguſtini*, et *Iſidori* locis collegit, et *Gratianus* ſaepe citauit ſub nomine Auguſtini eadem repetit, vt legi hic omnino mereantur *canones cit.*

§. LIV.

Sufficienter probari poteſt.

Verum S. HIERONYMVS non mente ſeria, ſed artificio ſcribendae hiſtoriae, et exercitandi ingenii gratia paulo liberius talia conſcripſit, dum *eſſet adoleſcens, imo pene puer, et primos impetus laſciuientis aetatis eremi duritia refraenaret. Pro aetate tunc luſimus*, pergit ipſe S. Pater *in epiſt. ad Nepotian. et calentibus adhuc rhetorum ſtudiis, atque doctrinis quaedam ſcholaſtico flore depinximus.* S. AVGV-

STI-

STINVS *ex celeberrima fama*, ſua narrat, et expreſſe proteſtatur, *ſe nihil audere temere definire, de ciuit. Dei XV. 23. add. can. 3. XXVI. q. III.* veriſſime autem artes magicas *quaſi pacta* hominum cum daemonibus adpellauit, eo nempe ſenſu, quo S. Paulus idololatras ſocios daemoniorum vocauit *I. ad* CORINTH. *X. 20.* Et ipſe ſe olim cum daemone per deſideria carnis conuerſatum eſſe ſcripſit ad EPHES. *II.* S. GREGORIVS M. ſtatim *proem. lib. I. cit.* proteſtatur, quod *ea ex narratione virorum venerabilium hauſerit.* Et quid ſi conſideremus vltro, aliquos ſanctos Patres rebus hiſce fidem adhibuiſſe, an religio tum foret, ab hac eorum doctrina recedere? S. AVGVSTINVS *ap.* GRATIAN. *can. 10. diſt. IX.*

§. LV.

§. LV.

4) Ex confeſſionibus iudicialibus ſpontaneis.

Illud tandem 4) nimium eſt, quod ex *circumſtantiali*, et *uniformi* magorum, ſagarumque *confeſſione* ad exiſtentiam huius criminis concludant. Ii enim, qui in ſuperſtitioſas, et crudeles inquiſitorum manus inciderunt, homines plerumque erant morbis hypochondriacis, et quadam dementia adfecti, quorum confeſſiones ad deliria abalienatae mentis ſpectantes nullam fidem mereri, et ideo etiam nullam probationem facere poſſunt.

Addam caſum in horum confirmationem egregium: Puella quaedam 25. circiter annorum *Maria Anna Knoerin* ex pago Steinhilben in praefectura *Trochtelfingenſi* ditionis principis *Fürſtenbergii Moeskirchenſis* ſito, anno 1746. criminis magiae ſuſpecta

ta in iudicio libere, et ſponte confeſſa eſt, ſe pactum expreſſum cum diabolo iniiſſe, et cum eo per aliquot annos quotidie fere concubuiſſe. Acta proceſſus ad facultatem iuridicam oenipontanam, cuius tum temporis membrum eram, transmiſſa, mihique ad referendum conſignata ſunt, cenſui inquiſitam morbo hypochondriaco, et paſſionibus hyſtericis miſere vexatam, quod haud obſcure ex actis eluceſcebat, pleno vſu rationis non gaudere. Aliter viſum eſt conſultae deſuper facultati medicae oenipontanae; igitur ex vulgato principio, quod in arte peritis credendum ſit, me ne quicquam reluctante vltimi ſupplicii ſententiam pronunciare facultas iuridica non dubitauit. Remiſſis actis cum reſponſo facultatis meas ego literas adieci, et praefecto Trochtelfingenſi conſilium ſuggeſſi, vt miſeram puellam peritorum medicorum curae commendet, ſuſpenſa interim executione. Mox non ſine ſumma animi voluptate reſciui, damnatam tam plene ſanitati fuiſſe reſtitutam, vt eorum, quae faſſa erat, memoriam nullam ſe habere, et confeſſiones ſuas phantaſmata fuiſſe agnouerit. Perilluſtris D. de Lempenbach Principis S. R. I. et Abbatis S. Blaſiani Cancellarius, qui tum temporis conſiliarii aulici munere apud Principem

Moes-

Moeskirchenſem functus eſt, nuperrime hic Viennae negotiorum cauſa praeſens fidem eorum omnium mihi denuo fecit, eandemque foeminam matrimonio poſtea iunctam adhuc hodie eſſe ſuperſtitem teſtatus eſt. Diſcant iudices criminales hoc exemplo moniti, quam cautos, et circumſpectos in ferendis ſententiis contra putatitias ſagas eos eſſe oporteat.

§. LVI.

Et tortura extortis.

Quod ſi etiam homines ſanae mentis in inquiſitionem incidiſſe ponas, quod vtique ob horrendam leuiſſimorum indiciorum copiam facile euenire potuit, tum exquiſitiſſima, *diuturna*, et *continuata* tormenta (modus ſane procedendi contra ſagas ab omni ratione alienus!) praeſto erant, ex quibus ſecutas eſſe confeſſiones illas adeo mirum non eſt, vt non confitentes potius magiae adcuſari debuiſſent.

In re tanti momenti audiamus iudicium grauiſſimum viri prudentiſſimi, et in hac materia experientiſſimi P. FRIDERICI SPEE S. I. qui in libello aureo, quem titulo *cautionis criminalis de proceſſibus contra ſagas* inſigniuit, *Dub. XX.* ad quaeſtionem: quid de tormentis ſentiendum ſit? mentem ſuam candide more ſuo his verbis explicat: *Ea eſt*, inquit, *vt plurimum conditio torturae, vt cum vltro citroque ea, quae id genus vidi, legi, et audiui, apud me memoria peruoluo, decernere non poſſum aliud, quam quod frequens, et morale periculum innocentibus inducat, et germaniam noſtram impleat ſagis, ac inauditis ſceleribus.* Et tandem poſt longum ratiocinium *ibid.* ita concludit: *omnino ſentio cum ornatiſſimo quodam viro, et amico meo, qui ſic loqui ſolet lepide, et vere: quid*, inquit, *tam ſolicite maleficos quaerimus? Heus*, inquit, *iudices oſtendam extemplo, vbi ſint! agite, rapite Capucinos, Ieſuitas, Religioſos omnes, et torquete, fatebuntur; ſi qui negant, repetite ter quater, fatebuntur: ſi adhuc obſtinati ſunt, exorciſate, detondete, vtuntur maleficio, obdurat eos daemon, vos procedite, tandem dabunt manus. Tum ſi plures vultis, rapite Eccleſiae Praelatos, Canoni-*

cos

eos, Doctores, fatebuntur; nam quid miseri, et delicati, quî subsistent? Quod si adhuc plures vultis, vos ipsos ego torsero, et nec vos deinde, non diffitebor, quod vos fassi eritis, sic omnes magi sumus. Et iterum *Dub. XLVIII. arg. 4. sic saepe mecum ratiocinari soleo, quod non omnes nos magi sumus, hanc vnicam esse rationem, quod tormenta ad nos non attingant: verissime quidam nuper inter scyphos, et ipse magni principis inquisitor iactare ausus est, si sub suas manus, et tormenta vel ipse pontifex veniret sine dubio tandem se maleficum quoque esse confessurum.*

§. LVII.

Genuina magiae definitio.

Supereſt tandem, vt praemiſſis de magia fatis, et opinionibus variis genuinam eius notionem ſubiungamus. Negari enim non poteſt, dari homines, qui, cum per Dei prouidentiam propoſitum ſuum inclareſcendi, diteſcendi, libidinem explendi, et vin-

dictam privatam exercendi etc. se obtinere non posse videant, diaboli vires, et auxilium implorant, et conatu serio quidem, attamen irrito commercia, et pacta cum eo inire attentant. Quo sensu MAGIA rite definiri potest, quod sit *accessus mentis ad satanam cum conatu, et fiducia aliquid ab eo obtinendi.* Crimen sane eo grauius, quo maiorem in se *speciem blasphemiae* continet. Atque cum hac definitione exactissime consentit illa, quam *Augustissima Legislatrix nostra in cod. crim. Theresiano art. §. 1.* prae oculis habendam esse omnibus proposuit, inculcata omnibus iudicibus distinctione, vt sedulo circumspiciant, an confessio rerum magicarum ex phantasia, melancholia, amentia, aut simili infirmitate processerit: an vero artes magicas malitiosa simulatione ad decipiendos tamen homines quis venti-

tilauerit? Et in primo quidem casu deprehensos charitatis christianae mediis curandos, in alterum vero incidentes arbitraria stellionum poena adficiendos esse statuit. Si autem contingat, vt iudices ad veram vti vulgo traditur, magiam concludendum esse opinentur, tunc ad ipsam Maiestatem, vt relatio fiat, et decisio petatur, sapientissime constitutum est.

§. LVIII.

Scriptores contra magiam.

Fuere semper, et nostris praesertim temporibus sunt plurimi viri cordati, veritatisque amantes, qui sepositis praeiudiciis magiae diabolicae vanitatem detegere, eiusque phantasticas ideas animis populorum alte infixas stirpitus euellere conatu christiani homine digniſſimo imperterrite

rite non ſine omni ſucceſſu adgreſſi ſunt.

Ex horum numero paucos quosdam laudaſſe ſufficiat. Quidam ANONYMVS: *Malleo Maleficarum* (ſupr. §. 36. ſchol.) ſeculi XVI. initio Malleum iudicum oppoſuit, et iniquitates a iudicibus tam ſaecularibus, quam eccleſiaſticis in proceſſu contra ſagas commiſſas oſtendit. IOANNES WIERVS anno 1563. *Tractatum de praeſtigiis daemonum VI. libris* diſtinctum edidit, pariter Malleo Maleficarum oppoſitum. IOANNES GEORGIVS GODEMANNVS *an. 1587. de magis, et veneficis opus* in lucem edidit, in quo contendit, magos pacta inire cum daemone, non vero ſagas, niſi mere phantaſtica, quod quam abſurdum ſit, nemo non videt; ſed meliora ſunt, queis proceſſum contra ſagas ab inquiſitoribus introductum rectae rationi repugnare docet. GABRIEL NAVDEVS *an. 1653.* idiomate gallico apologiam pro viris magnis falſo magiae adcuſatis conſcripſit P. FRIDERICVS SPEE S. I. vir pietate in Deum, et charitate erga proximum eximius, confeſſarius exercitatiſſimus in dioeceſi Würceburgenſi, et Bambergenſi per plures annos adhibitus diſponendis ad mortem

tem rite obeundam mulierculis imputatae magiae reis, et ideo rogo addictis ſub nomine theologi romani *cautionem criminalem de proceſſibus contra ſagas an. 1631. Rinthelii* typis euulgauit, qui licet contra exiſtentiam magiae diabolicae non diſputet, ea tamen principia vbique inſperſit, vt ſi ea ſequamur, breui nihil aliud, quam inane magorum, et ſagarum nomen ſupererit. Quid autem ipſe reuera ſenſerit, ſatis indicant verba, quae apud eundem *Dub. XXX. ad fin.* legimus, et hic integra adſcribimus: *Ego*, ait, *id cum iuramento depono, me quidem nullam hactenus ad rogum duxiſſe, de qua omnibus conſideratis prudenter ſtatuere potuerim* ESSE REAM. Libellus hic facile omnium in hac materia praeſtantiſſimus confeſſariis, et iudicibus criminalibus nunquam ſatis commendandus ab HERM. SCHMID. an. 1648. prudenti conſilio in vernaculam eſt translatus, vt ab omnibus legi, et intelligi poſſit. Noſtra aetate omnibus hac de re ſcriptoribus palmam praeripuiſſe mihi videtur vir clariſſ. FRANC. CONSTANTIN. A CAVZ in praeſtantiſſimo opere, quod *de cultibus magicis, eorumque perpetuo ad eccleſiam, et rempublicam habitu* ſumma induſtria, et ingenti vaſtiſſimae eruditionis adparatu ſolide

de elaboratum an. 1768. prima vice hic Viennae edidit, denuoque auctius, et emendatius typis Trattnerianis anno 1771. in 4. recudi curauit.

FINIS.